

PIETAS ACADEMICA,
sive
ORATIO,
quam
VIRO
Amplissimo, Consultissimo & Celeberrimo,
**DN. HENR. THEOD.
PAGENSTECHERO,**

*Utriusque Juris in Academia Regia Duisburgensi
Doctori, & Antecessori Seniori ac Primario,*

die XII. Junii, Anno d^o MDCCLII.

EX AMPLISSIMI SENATUS DECRETO

*post peractas exequias in Acroaterio majore
babuis*

**JOANNES HILDEBRANDUS
WITHOFIUS,**

*Historiarum, utriusque Eloquentiae, & Græcae Lingue
Professor Ordinarius.*

DUISBURGI AD RHENUM,
Typis Joannis Sebastiani Straubii, Acad. Typogr.

(1752)

ДИАЛІЧА САДІ
ОІТА О
2.
ДОНТ ЯНІН
ДОНТ ГЕНІЯ
EX ALPESI M. SEVATIS DECER
СУДІЯ ПІДІРСІ
ДІЛОНІІ

*VIRIS AC DOMINIS,
DIVERSO SED UTROBIQUE PEREXIMIO
HONORUM AC MUNERUM
DIGNITATISQUE GRADU
CONSPICUIS,
DE PUBLICO BENE MERENTIBUS
ET MERITURIS,
AMPLISSIMO CONSULTISSIMOQUE
DEFUNCTI CELEBERRIMI PROFESSORIS,
CUJUS INSIGNIBUS MERITIS
AC PERENNI MEMORIAE
HÆC PUBLICE DICTA SUNT,*

F I L I O,


*NEC NON
PLURIMUM REVERENDO AC DOCTISSIMO
EJUSDEM PRÆCELLENTISSIMI
IN ACADEMIA DUISBURGENSI
NUPER ANTECESSORIS*

G E N E R O,

TOTIQUE PRÆNOBILISSIMÆ
PAGENSTECHERANÆ
DOMUI
HOC QUALE CUNQUE
PATERNARUM VIRTUTUM ET MERITORUM
MONUMENTUM
CUM OMNIGENÆ PROSPERITATIS
UT OLIM MAJORIBUS EJUS ACCUMULATA
ITA SERIS QUOQUE DEINCEPS POSTERIS
FELICITER EVENTURÆ
VOTO
SACRUM DICATUMQUE
ESTO.



AUDI.



*AUDITORES
Omnium Ordinum & Dignitatum
Honoratissimi.*



Siccine iterato iētu intra brevissimi temporis angustias, tanquam gemino ferali fulmine, hoc augustum Athenæ nostri sacrarium percussum est? Siccine duplii plaga hæc quondam tam bene firmata Juridicæ Facultatis mœnia non solum tremefacta & arietata, sed partim etiam propemodum in terram præcipitata ac funditus eversa sunt, nisi per singularem supremi Numinis clementiam supererent, qui tam gravem salutaris hujus & utilissimæ disciplinæ labem atque ruinam suis humeris fulcire, & dum reliquæ quoque partes jam labefactæ iterum instaurentur, suis vigiliis, suo labore &

A 3

indu-

industria singula obire, & quæcunque rimam ducere
videtur, contra omnes, ut sic loquar, tempestatum
injurias diligenter obfirmare simul & vellent & possent.
Nondum gravissimam, quam celeberrimi *Summer-*
manni obitu passi sumus, jaetoram eluximus: nondum
atrocissimum illud vulnus, cuius purulentam vibicem
etiam sera adhuc tempora livore ejus ostendent, non-
nihil iterum coire & cicatricem ducere cœpit, cum ec-
ce ingens nobis plaga denuo infligitur, Viro amplissimo
& consultissimo HENRICO THEODORO P A-
GENSTECHERO ex hac omnibus circumfusa
mortalitatis caligine in cœlestem & perennem lucem
translato, suis autem, nobisque omnibus, ipsius ad-
huc præsentiam, ac necessarium illum in strenue ob-
eundis gravissimi muneric partibus ardorem requiren-
tibus, in luetu & squalore destitutis. Quanta sit rerum
humanarum vicissitudo, quanta futurorum omnium
caligo, vel hic solus suo nobis exemplo abunde demon-
strare potest; qui cum quasi adhuc diu superfuturus
sumptuosas admodum, usuique suo magis idoneas ædes
fabricandas, in iisque præter alia Museum, non Assy-
riis peripetasnatibus, aut picturatis tapetibus, sed su-
pellectile omnium pretiosissima, ingenti videlicet &
seleqtissima cuiusvis generis monumentorum multitu-
dine adornandum curasset, in quo post peracta arduæ
provinciæ suæ munia velut in peristylio aut amœ-
nissima porticu quadam obambularet, devoratasque
quotidianis laboribus molestias tam belli apparatus usu
aspectuque sibi detergeret; cum talia, inquam, plura-
que similia, ad laudem, ad decus, ad ipsam quoque
studiorum suavitatem, nec non ad senectutis futuræ ob-
lecta-

ORATIO.

2

lectationem facientia moliretur, ecce in medio conatu totius consilii & incepti cursus sufflaminatur. O vanas & inanes hominum cogitationes! o fluxas & incertas, quas inchoamus, spes omnes mortalium!

Nobis vero, Auditores, haec insignis jactura tanto gravior molestiorque accidere debet, si cogitamus, ante quartuor admodum menses hunc eundem Jurisconsultorum ordinem simili, & si longævam ætatem adspiciatis, etiam diuturniore ornamento orbatum fuisse. Hac spe mentes nostras de futuris sollicitas lactabamus, fore, ut hic defunctus clarissimus Collega noster alterius Antecessoris, jam decrepita senectute & laboribus exhausti, jaetoram suppleret, cum ecce ipse simili magisque inopinata calamitate nobis omnibus lugentibus & attonitis eripitur, totumque onus in reliquorum duorum triumve nobis adhuc superstitem, ac studiosæ juventutis his sacris operaturæ commoda pro virili promovere cupientium humeros devolvit. Sæpius quidem, ne de aliis locis & regionibus loquamur, in hac urbe, in hac ipsa artium & scientiarum officina ac matre nostra Academia contigit, ut celeres & iteratæ mortes ei luctum ac squallorem afferrent. Nam & anno superioris seculi nonagesimo primo eadem propemodum nocte, certe intra sex septemve horarum spatium *Johannes Jacobus Gantesvilerus*, & *Arnoldus Brandius* deceserunt; & ejusdem seculi anno ultimo, interjecta paucorum mensium intercapidine, *Christophorus Fridericus Crellius*, & *Guilielmus Crusius* suo obitu hanc sacrosanctam Musarum sedem contrastaverunt; quin imo ante quadriennium, & quod excurrit, idem pror-

prorsus in *Joannis Arnoldi Rulandi & Christophori Rabii* decessu recurrisse fatum, nostrum fortassis plerique recordantur. Sed cum omnes illi diversi semper ordinis, diversaque disciplinæ essent, videbatur geminatum ejusmodi vulnus paulo mitius, magisque tolerabile; quod nunc duobus egregiis intra breve temporis spatum Antistitibus, ejusdem ordinis & disciplinæ confortibus, ereptis tanto majore cum dolore nostro conjunctum est, quanto magis propemodum sine exemplo illud contigisse nobis existimandum videtur; nisi fortassis extra hanc Academiam nostram ad urbis cœtum ecclesiasticum digressi similem & adhuc magis luctuosam cladem nobis in memoriam revocare velimus, tribus omnibus oraculorum divinorum interpellibus, *Theodoro Stockio, Luca Loerfio, & Joanne Blecourtio* intra brevissimam sex hebdomadum orbitam anno superioris seculi octogesimo & nono simul prostratis, totoque grege viduo & orbato relicto.

Quare sicut par est, Auditores, veris lacrimis nos nostram hanc deplorare calamitatem, ita ipsius officii, nec non sanctissimæ consuetudinis a majoribus quoque nostris comprobatae ratio requirit, ne tanti tamque præclari Viri & eximii Jurisconsulti, Collegæ nostri quondam honoratissimi, nomen post peractas exsequias illaudatum dimittamus, aut merita ejus in animis nostris & memoria obliterari patiamur. Cur autem egomet ad tam grave ac molestum onus denuo subeundum me tam facile permoveri passus sim, Auditores, quid loquar, aut quibus verbis toties jam commissam, & nunc iterum committendam temeritatem meam yobis excū-

ORATIO.

9

excusare annitar, quod velut explorator in aliena castra delatus de praeclarissimo Jurisconsulto, ejusque virtutibus & meritis coram hac amplissima panegyri dicere aggrediar? Sed diuturnum illud amicitiae mutuae vinculum per tam multos annos, non vulgari, dum fata Deusque finebant, familiaritate cultum, nec ullo fere vel levissimo frigore interruptum, monere videbatur, ne ultimum hoc pietatis qualemque monumentum defuncto celeberrimo & literarum quoque nostrarum quondam amantissimo Collegæ denegarem, quo & illud accedebat, quod Viri hujus præstantissimi natales, originem, gentemque universam, fata etiam studiaque ac mores, cum ob alias rationes, tum ob singularem, quo me præ multis aliis etiam fortassis sine caufa maestabat, crebræ & arctioris cuiusdam consuetudinis honorem, in primis cognita ac perspecta habere credebar. Nec dubito, Auditores honoratissimi, vos ea, qua censemini, humanitate facile concessuros esse, ut hac ipsa pietatis animique memoris religione nostram de tali tamque præclaro Juris Antistite loquendi imperitiam ac tenuitatem compensemus, in tanta præfertim temporis brevitate, cuius angustissimis cancellis ejusmodi officia nostra pro more hujus loci circumscriptibuntur, tum etiam ob singularem animi mestitiam, nobis tanti Viri & Amici, candidissimi præterea ac religiosi Jurisconsulti tantopere temporibus nostris necessarii jaetura allatam.

Patriam, ut hinc oratio nostra proficiscatur, vel potius natale solum Vir defunctus habuit urbem illam celeberrimam *Groningam*, pinguissimi ac beati tractus

B

Gro-

Groningani atque Omlandici caput; urbem sane pulcherrimam, & non modo munitissimam atque in ipsis Annalium monumentis ob gravissimos belli labores mirifica constantia & virtute feliciter exantlatos decantatam, sed ob Academiam quoque ibidem per plurimos annos jam florentem omnigenae eruditionis, pietatis simul & artium quarumvis nutricem atque palæstram, quæque ante ipsam Sacrarii istius erectionem ingentia orbis eruditum lumina in spissis illis bonarum literarum tenebris tum nonnihil intermittere & dispelli incipientibus, suo gremio vel produxit vel fovit, Vesselum videlicet Gansevortium, Regnerum Prædinum, & Rudolphum illum Agricolam, recidivum seculi sui phœnicem, viros plane memorabili pietate & doctrina conspicuos, & diuturnam illam temporum superiorum barbariem, velut Augiæ quoddam stabulum, strenue nec infelicitate a situ sordibusque purgare conatos; ne de ceteris quamplurimis, qui postea hanc Urbem & Academiam scriptis suis & quarumvis literarum monumentis illustrarunt, quicquam adjiciamus. In hac splendida Musarum fede celeberrimus Collega noster auram vitalem haurire cœpit septimo Iduum Decembris, anno superioris seculi sexto & nonagesimo. Patrem habuit insignem illum Antecessorem *Alexandrum Arnoldum Pagenstecherum*, primum Steinfurtenſi Gymnasio, deinceps huic ipsi Academia nostræ Duisburgensi, tum vero Groningano Athenæo meritis suis scriptisque non paucis, magna doctrina & in primis admirandæ cujusdam lectionis ubique eminentis copia referens, ingens sane decus & ornamentum conciliantem; qui ex uxore sua lectissimâ *Catharina Aleida Schluiteria*,

am-

ORATIO.

II

amplissimi Viri *Henrici Schluiteri*, Judicis & Quæstoris Gronoviensis filia, & maternum genus ad splendissimam *Bentheimiorum* familiam præcipuis olim dignitatibus in traetū Teklaburgensi functam referente, frequentem liberorum sobolem, ac in ea præcipue, ne de fœmellis loquamur, præclaros & ad paternas avitasque laudes magna contentione & industria graffaturos filios procreavit; inter quos egregio Parenti suo superstites, *Joannem Fredericum Guilielmum*, natu maximum, & ante quinquennium circiter in Harderovicensi Gelrorum Lycœo non sine luctu & mœrore illius loci defunctum, *Ernestum Alexandrum Ottomem Cornelium*, in magna dignitate & fama hodieque apud Herbornenses versantem, ac *Bernhardum Ebervinum* primum apud vicinos Meursenses, ac deinceps apud Alcmarianos in Hollandiâ, eodem munere, quo Reinerus quondam Neuhusius fuit gavisus, ornatum, & ante paucos admodum annos similiter defunctum, præstantissimus Jurisconsultus noster *Henricus Theodorus* ordine nativitatis simul & omni secundus fuit. Avum habuit Virum illustrem & consultissimum *Arnoldum Gisbertum Pagenstecherum*, ante sexaginta & quatuor annos in hac ipsa urbe defunctum sepultumque, cuius ossibus & cineribus residuas clarissimi Collegæ nostri exuvias paulo ante in eodem monumento appositas vidi mus. Is enim Antecessoris nostri Avus cum primo apud celsissimum Bentheimensium Comitem *Ernestum Guilielmum* spectatissimo Cancellarii munere per plures annos maximo cum honore & dignitate functus fuisset, postremo perturbatis in ea regione ob inconstantiam Domini sacris omnibus, ne tantam natalis soli

B 2

cal-

calamitatem ulterius spectare cogeretur, in ditionem hanc Clivensem sedere maluit, à serenissimo ac potentissimo Electore Brandenburgico Friderico *Guilielmo Magno*, non modo in eorum numerum, qui sibi à Consiliis essent, cooptatus, sed Legati etiam perpetui, quem vulgo Residentem appellare consuevimus, persona apud aulam Neoburgicam, in vicina urbe Dusseldorpiensi tunc commorantem, decoratus, nec non Academiae huic nostrae simul Curator constitutus, ac propterea ut stabiles hic lares suos figeret consultum fore arbitratus est. Is autem duplice matrimonio gavisus ex priore conjuge *Anna Elisabetha Volckershausen* & Ernestum *Philippum*, Consiliarium Palatinum & Prætorem Heidelbergensem, *Arnoldi Jacobi*, Viri consultissimi & Judicis Steinfurtensis Patrem, ex altera vero *Barbara Rodenbergia*, nobilissimo apud Resenses & Clivenses sanguine progenita, defuncti Collegæ nostri Avia laudatissima, præter ejusdem Parentem Alexandrum Arnoldum, etiam *Guilielmum Jacobum*, Virum manu strenuum, & Optionis nomine sub serenissimo ac potentissimo Danorum Rege stipendia facientem, nec non *Guernerum Justinum* procreavit, primo in illustri Steinfurtensum Arnoldino Juris disciplinam publice professum, ac deinceps Marpurgi Consiliarium Hassiacum, simulque gravissima Vicecancellarii dignitate conspicuum; ne de ejusdem Gisberti Arnoldi filia, *Theodora Anna Elisabetha*, Defuncti nostri Amita, ornatissima foemina, & generosissimo Viro *Joanni Adolfo Libero Baroni de Recke*, in Diœcesi Mindana Consiliario nupta, aut pluribus aliis quicquam addamus. Proavo gavisus est præstantissimus quondam Colle-

ORATIO.

13

Collega noster Viro consultissimo *Joanne Pagenstechero*, non solum eadem Cancellariatus dignitate in aula quondam Bentheimica gloriose functo, & jam anno superioris seculi quinquagesimo ad superos translato, sed scriptis etiam, non proletariam eruditionem spirantibus, ad nominis æternitatem inter medios aulæ labores ac gravissimos negotiorum fluctus eluctato, quibus pius nepos ipsius, Nostri Pater, obstetricem mamum deinceps commodavit. Hic vero ex *Anna Lölevinckia*, honestissima Matrona, non solum illum, quem diximus, Nostri Avum, Arnoldum Gisbertum, sed *Guernerum* etiam generavit, utriusque Juris in illustri Steinfurten-sium Arnoldino Doctorem ac Professorem publicum, nec non ibidem Prætorem; cuius filius *Joannes Vinandus*, genitori suo in munere Professorio suffectus ac postea sine liberis defunctus, amplissimas, quas possidebat, ædes suas liberaliter solenni testamento illustri ejus urbis Athenæo legavit, à primario Theologo, ibidem sacras literas publice docendi munus gerente, semper inhabitandas; quod ita etiamnum sancte observari cognovimus, & ipsi ante biennium, cum istac forte transiremus, ab hodierno earum habitatore suaviter ob veterem amicitiam una cum filio excepti contemplati sumus, sanctamque Legatoris imaginem præcipui concavis parieti in perpetuam memoriam ipsius affixam pie admirati. Idem ille beatissimi Antecessoris nostri Proavus *Andream quoque Christianum* procreavit, summum rerum bellicarum apud serenissimum Hassiæ Principem Præfectum, postremo etiam ejusdem Consiliarium & Satrapam Hirsfeldensem, cuius unica filia matrona nobilissima generosissimo *Baroni ab Heucke-*

B 3

lom

lom in matrimonium concessa fuit, ut & *Guilielmum* apud Steinfurteses jam saepe memoratos similiter olim prætorem. Possem nunc vobis, Auditores honoratissimi, etiam defuncti Collegæ nostri Abavum memorare *Guernerum Pagenstecherum*, ante aliquot secula apud Warendorpenses in Dicēcesi Monasteriensi Consulem integrerrimum; ex quo oppido in Westphalia, tot magnarum & illustrium animarum sancta genitrice, universum hoc stemma in tot urbes & regiones postea diffusum atque amplificatum primo succrevit ac pullulavit. Sed quid de Avis, Proavis, Abavisque loquimur? Etiam Atavum, Tritavum, ceterosque majores per plura jam secula ibidem honesto vitæ genere conspicuos facile nominare possemus, & simul, unde totam harum rerum notitiam hauserimus, testes fide dignos indicare, nisi hæc omnia legentium oculis designata serie longe melius ac lucidius exhiberi, quam auscultantium auribus inculcari, & in publico sermone enarrari conveniret. Nam & alia non pauca huc pertinenter studio nunc prætermisimus deinceps fortassis adjicienda, ne vestra, Auditores honoratissimi, benevolentia intemperanter abuti videamur. Nec illud à nobis præterea vehementer requiri oportere existimamus, si modo verum est, quod Laërtius heros, facundus ille Ulysses, apud Nasonem in amplissimo Græcorum concilio affirmat, genus videlicet & proavos omnes, omniaque, quæ ipsi non fecimus, vix nostra esse vocanda.

His itaque Majoribus ortus PAGENSTECHE-RUS noster, hoc sanguine prognatus quin positis fibi
ante

ante oculos tot ceris & imaginibus semper erectæ indolis stimulus senserit, seque ad suscipiendam ac calcandam Virtutis semitam ab his tacitis monitoribus identidem instigari & urgeri crediderit, minime dubandum est. Versabatur ipsi ante oculos Avi Proavique dignitas; inhærebat menti celeberrimum Parentis nomen longe lateque Scriptorum multitudine & nobilitate diffusum; ipsa illa tot Cognatorum & propinquorum decora eum jam adolescentem non satis quiescere & dormire patiebantur; quod vetustos Scriptores de Themistocle Miltiadis tropæa & campum Marathonium sibi identidem in memoriam revocante testatos esse meminimus. Nec parum delectatus ipse Parens sanctissimus hac, quæ jam in tenero adolescente se conspicendam præbebat, herbescens ingenii alacritate, in naturè eundem ut honestis moribus ac pietati, omnium bonorum ac cœlestis benedictionis fecundissimæ genitrici, ita etiam ingenuis quibusque literarum studiis assuefaciendum curavit; in quibus ut brevissimi temporis intervallo non pœnitendos progressus faceret, reliquisque etiam commilitonibus suis facile palmam præriperet, nequaquam occasio deesse poterat, seu Urbem adspiciamus illi cum multis aliis communem, sat plerumque peritorum artificum habentem, qui teneris puerorum mentibus veluti cereis quibusdam tabulis primas ac præcipuas Virtutis Doctrinæque notas diligenter imprimere soleant, seu proprium illi ac peculiare bonum cogitemus, ædes paternas, sub quarum faustis penetralibus indoles ejus nutrita domesticis admonitionibus & documentis quotidie magis magisque acuebatur. Effectum sic sane videtur, ut Noster, sic ut

ut mox videbimus, in præcocium eruditorum numerum, quo titulo tam multi sæpe sine causa & colore gloriantur, suo jure referri mereatur. Cum enim *Groningæ* in natali urbe prima literarum rudimenta percepisset, & jactis fundamentis, quibus aliquid pulchri solidique deinceps superstrui posset, satis idoneus videretur, qui se ad altiora converteret, in ipso ætatis flore, prætexta nondum deposita, ad publicas lectio-nes promotus, & egregio Viro *Adamo Mensoni Isinghio*, nativitate Clivensi, ac humaniores tunc Literas Groningæ singulari cum fama & applausu profitenti, *Michaeli* etiam simul *Rossalio*, Græcas ibidem sine pompa, sed non sine fructu & interioris doctrinæ laudibus dapes studiosæ juventuti apponere consueto, in disciplinam traditus est; quibus ducibus tantum in Eloquentia, in Romanarum antiquitatum rituumque cognitione, in ipso denique Historiarum studio, nec non in Hellenis-mi & Atticarum deliciarum notitia profecit, ut dilectissimo Parenti ejus, satis perito omnium istiusmodi rerum judici, paulatim tempus advenisse videretur, quo de futuro vitæ genere, ceterisque studiis ac laboribus ei caute ac prudenter accommodandis consilia inirentur. Placuit tum primo, ut ad sacras Literas studiumque Theologicum mentem applicaret adolescens, tum quod hujus cœlestis disciplinæ suavitate toties ab aliis, ab ipso etiam consultissimo Parente non leviter prædicata eum inescatum esse appareret, tum quod Fratre natu majo-re jam Jurisprudentiam amplexo non inconsultum fore crederetur, si hic secundus filius diuersum vitæ ac stu-diorum genus, in quo Deo hominibusque inservire posset, eligeret.

In

In Academia Groningana tunc temporis res propemodum eo redierat, ut præter solum amplissimam Parentem ejus, totius Facultatis Juridicæ moli, ne penitus corrueret, humeros suos instar Atlantis subiectum, vix aliquis, uno alteroque in ceteris Facultibus excepto, jam amplius supereisset, qui tot utiles & necessarias scientias publice profiteretur, ipsi etiam si non Urbis, totius certe circumiacentis Agri proceres de intermittendo paulatim suppressandoque Academiæ nomine ob varias causas cogitare inciperent. Ad sacrarum Literarum cognitionem & cœlestem doctrinam qui juvenibus viam muniret, nullus erat, eruditissimo ac celeberrimo Theologo Joanne Braunio, qui solus per multos annos restiterat, rebus humanis exento. Hic defectus efficiebat, ut Noster Steinfurtum mittetur, in cuius Arnoldino tam Parens ipsius quam tot Parentis Cognati doctrinæ sue semina olim sparserant, ibi ductu celeberrimi *Arnoldi Vischii*, Theologiæ ac Linguæ sanctæ Professoris simulque Oraculorum divinorum Interpretis primarii, sacrarum Literarum studiis initiandus. Et quamquam post breve aliquod temporis spatium iis iterum desertis Jurisprudentiam more Majorum amplexus est, degustatae tamen semel cœlestis doctrinæ dapes eum talium studiorum amorem ac cultum ipsius menti ingenerarunt, ut nunquam deinceps à lectione optimorum librorum res sacras tractantium abhorruerit, iisque saepe non minus quam aliarum scientiarum monumentis animum suum pasceret, certe iisdem librariam suam supellectilem avidissime & cum cura nonnunquam instrueret.

C

Velis

Velis igitur retrorsum datis cum ad Jurisprudētiā animū appellere decrevisset, monitu amplissimi Parentis sui se iterum Groningam contulit, ut hujus quasi divinitus & ipsa nativitate sibi concessi domestici Doctoris institutione deinceps uteretur. Unde enim certiora præcepta quam à Jurisconsulto longe lateque celeberrimo petiisset, quiq[ue] semper gratia & studiosæ juventutis ex universa pene Germania Belgioque confluentis applausu mirificè floruerat? unde fideliores monitus, quam ex proprii Parentis ore hausisset? unde denique tutiora & minus ambigua responsa, quam ab hoc domestico tripode sibi exspectanda credidisset, quæ tanto majori cultu & religione venerabatur, quanto hæc magis suæ saluti, quam multorum alienigenarum oracula, intenta fore non vane augurabatur. Hic vero cogitate, Auditores, & mecum perpendite, quantos quam brevi tempore diligentissimus Juvenis progressus fecerit, quam strenue & alacriter oculos suos animumque per omnes Jurisprudentiæ partes circumtulerit, qui paucis annis interjectis ab eruditissimo Parente suo summis in Jure honoribus rite legitimeque capessendis dignus fuerit judicatus. Contigit hoc die vigesimo septimo Septembris, anno hujus seculi decimo quinto, cum annum ageret ætatis decimum nonum. Socium in hac dignitate suscipienda habebat Jacobum Hasæum, celeberrimi quondam Bremensium Theologi Cornelii Hasæ filium, ac postea publicum apud eosdem Philosophiæ practicæ Professorem, scriptis variis ac literarum monumentis rosos unguis sapientibus clarissimum, sed deinceps in medio laudis ac celebritatis cursu, non sine illætabili rei literariæ, cui multo plura
magis-

magisque etiam præclara minabatur, detimento è vi-
vis sublatum; ut facile si ex se ipso hic nobilissimus Ju-
venis cognitus non fuisset, vel ex isto laboris & digni-
tatis socio, qui majore jam ætate simul & insigni do-
ctrinæ copia conspicuus erat, cognosci potuisset.

Talis doctrinæ specimine publice jam edito jure
sperari poterat, intra brevissimi temporis spatum no-
vellum hunc Juris utriusque mystam PAGENSTE-
CHERUM nostrum publico cuidam muneri cum
laude & fructu alicubi administrando admotum iri.
Nec diu præclarissimus Parens hoc Filii sibi dilectissimi
incremento, hoc gaudio, hac felicitate cariturus fuisset,
nisi invidia fatorum obstitisset, quæ Virum lon-
giore vita dignissimum anno hujus seculi decimo sexto
non sine luctu & gravissimo totius familiæ mcerore,
eadem ferme ætate, qua nunc Filius ipsius, Collega
noster, decessit, abstulerunt. Ad tanti vulneris atro-
citatem nonnihil mitigandam Groningani quidem Pro-
ceres hunc Nostrum Doctoris, ut appellant, legentis ti-
tulo honoraverant; sed exiguis tamen revera commo-
dis sibi maestatus videbatur, qui nondum certam statio-
nem ac portum, in quem navim suam subducere pote-
rat, naectus fuisset. Prope tamen per triennium illic
adhuc post obitum clarissimi Parentis subsistere, & ibi-
dem velut in litore pulcherrimas varii generis conchas
& umbilicos colligere, hoc est, in suos aliorumque usus
utilissimam tam literariæ quam Juridicæ doctrinæ su-
pellectilem privato labore per otium honestissimum
constipare voluit, donec secundioribus ventis adspiran-
tibus vela sua in altum dare, & eo iter, ubi quietas
sedes sibi fata ostenderent, dirigere posset.

C 2

Nec

O R A T I O.

Nec defuit paulo post jucundissima occasio, ut publici Doctoris persona imposita laudabilem aliquam Spartam, cui ornandæ jam in ipso juventutis flore idoneus esset, adipisceretur. Eam *Linga*, non inacmeum istius in Westphalia regionis oppidum ostentabat, quod ut aliis nominibus, ita in primis illustrissima *Danckelmannorum* nunquam sine cura & religione nominandorum gente, ac præcipue sacrosancta illa admirandorum septem Fratrum Deo hominibusque placentium, velut totidem veteris Græciæ Sapientum, Plejade jure gloriari ac superbire potest. Eo nimurum venerabile illustris Athenæi Palladium, quod olim *Friedericus Henricus* serenissimus Arausionensium Princeps Bredæ in Brabantia deposuerat asservandum, deinceps Nepos ejus Rex magnæ Britanniæ potentissimus *Wilhelmus Tertius* transtulerat, in quo haec tenus *Antonius Bylertius*, Vir sine ostentatione doctissimus, ac diversis opusculis tam ligato quam soluto sermone curiose exaratis, postea vero *Joannes Fridericus Nilantius*, ex magni illius Jacobi Gronovii sorore prognatus, præclaris conaminibus, & in primis elegantissima Phædri editione sibi nomen pepererat. Horum ille jam senex annis laboribusque fractus quieta morte tanquam fopore solutus, hic vero ad alia munera civilia inter populares suos Belgas federatos obeunda transgressus fuerat. Vacabat itaque Lingæ Historiarum & Eloquentiæ provincia. Eam ut administrandam susciperet PAGENSTECHERUS noster, adjuncto etiam extra ordinem Jus Romanum publicumque interpretandi munere, honestissimis conditionibus, mandato serenissimi ac potentissimi Borussorum Regis, invitabatur.

Non

Non poterat non jucundissimum id accidere elegantissimo, & vix tunc vigesimum tertium ætatis annum inchoanti Viro juveni, defuncto Collegæ nostro. Discant hinc veræ eruditionis, & inde paulatim orituræ certissimæ nobilitatis ac famæ studioſi, quam utile ac necefſarium sit, bonarum literarum odore in prioribus academicæ vitæ annis ingenuum ac nobile pectus adſperſisse, qui illi deinceps tanquam recenti testæ additus in feram feneſtutem non sine insigni gloria & emolumen-
to conſtanter inhæret. Discant, inquam, non quid proletarii & capite censi, non quid fricti ciceris & nu-
cis emptores eorumque ſordidi heredes per ignem do-
loſo cineri ſuppoſitum raptim transilire conſueti, ſed
quid nobilia & de meliore luto fabricata pectora facien-
dum, quibusque mediis ad honorem, ad decus, ad
ipſas etiam domesticas rationes decenter & ingenue, ſine
plebeja rapacitate, & obvios quoscumque inclementer
deglubendi libidine, conſtituendas graſſandum exiſti-
ment, ne deinceps togatorum vulturiorum more in
medio foro latrocinia facere pulchrum ac gloriosum
eſſe ſibi in animum inducant. Discant, quo pacto non
conturbare & permifcere omnia, ſed leni & ſalutari
ſtudiorum promulſide ſtomachum ad concoquendos
deinceps graviorum disciplinarum cibos corroborare &
præmunire oporteat, ne ſpreta hac cauione omnes ſi-
ne ſelectu, ſine more deglutitas ac male digestas offas
cum ruetu & foetore aliquando revomere cogantur.
Aliter longe ſibi Noster in adolescentia & juventute
faciendum, alia via incedendum eſſe crediderat. Avi-
de itaque & bonæ perſuafionis plenus *Lingam* acceſſit
prætantissimus Collega noster, delatamque ſibi pul-
cherri-

cherrimam provinciam habita & mox in publicum edita Oratione de *Missilibus in vulgus spargi solitis*, materia sane jucundissima, & elegantis cujusdam, nec vili palea & plebeja lolagine exsurdati palati, quale postea semper ostendit, gustum prodente, auspicatus est. Contigit hoc quarto Iduum Januarii, anno hujus seculi nono & decimo, cum ætatis, sicut diximus, tertium & vigesimum vix ingressus esset.

Licet autem huic spartæ non multum ultra bienii & semestris temporis spatium præfuerit, tanta tamen illam industria, tanto vigore & alacritate, tanta denique fide & gravitate mentis ornavit, ut non modo artium honorum studiosæ juventuti in decurrente, quod ingressa fuerat, stadio saepe diffcili ac tenebricoso diligenter ipse juvenis accensa face præluxerit, eaque sedulitate & peritia sua omnium incorrupte de rebus nostris judicantium puncta retulerit, docens ac religiose inculcans his fundamentis rite positis cetera perquam facilia fore, absque iis autem totam molem velut rudem indigestamque squallere penitus; sed etiam tam exiguo temporis intervallo alterum doctrinæ simul & pietatis monumentum Amstelodami publicis typis impressum illic reliquerit, luculenta parentatione in obitum amplissimi & integerrimi Viri *Joannis Jacobi Farnsii*, serenissimo quondam Regi à Consiliis constituti, redditum ecclesiasticorum Quæstoris, & simul illustris Athenæi curam gerentis, conscripta, quam solam diligentiae & eruditionis suæ tesseram mecum ob raritatem ejus, ut querebatur, communicare non potuit, ipse tamen postea aliunde consequutus sum.

Talem

Talem se *Lingæ* bonarum literarum Antistitem
præbuerat defunctus celeberrimus Collega noster, ut
mox aliis quoque locis & regionibus de se potiundo cu-
ram injiceret & desiderium. Anno jam labentis hujus
seculi vigesimo primo Vir consultissimus *Jacobus Eckius*,
nunc insigne Groningensis Academiæ ornamentum,
deserta Juris & Politices statione Hammonensi hic
Duisburgum nostrum eadem sacra tractaturus conces-
serat; ad cuius vices supplendas nemo aptior PAGEN-
STECHERO nostro videbatur; qui quod Jurispru-
dentiæ, utilissimæ ac vere regiæ disciplinæ, se præ ce-
teris animum laboresque suos more majorum pridem
consecrassæ meminisset, ne perfidum sacramentum di-
væ Themidi dixisse videretur, hanc occasionem ad
priora Sacra redeundi nequaquam è manibus suis di-
mittendam esse judicabat. *Hammoniam* itaque, prin-
cipem Marcanorum Westhalicorum urbem, illustri
jam à pluribus annis Athenæo conspicuam, se contulit,
novæque huic Spartæ per optimum Virum, pluribus
deinceps in locis quoque collegam futurum, *Guliel-
mum Neubusium*, tunc politiores Literas, Historiam
& Philosophiam illuc profitentem, simulque Sacrarii
istius Præsidem, inauguratus est, habita & in publi-
cam lucem edita de *Tribus Juris Præceptis* Oratione
nitidissimâ, cui solennitati pridie Nonarum Novem-
bris, eodem anno, peractæ felicissima omina non de-
fuerunt. Illic enim non modo in alliciendis imbuendis
que nobilissimorum juvenum, qui eo tempore nescio
quo Panico terrore vehementer dispersi videbantur, &
nihil tamen, si modo suarum partium rite meminissent,
metuendum habebant, ingenii, in conscribendis eden-
disque

disque singularis diligentiae & eruditionis monumentis postea suo loco commemorandis desudavit, ac magis magisque inclaruit, illic non modo habita & typis exarata de *Pegaso Jurisconsulto* Oratione novum Collegam, doctissimum Petrum Fridericum *Hussenem*, Haga-Batavum, Historiarum & Philosophiae muneri inauguravit, sed ad proprias res domesticas etiam rite debiteque constituendas curas & cogitationes suas convertit. Viderat Traiecti ad Rhenum pulcherrimam Virginem *Joannam Theodoram Scherpenzeliam*, animi corporisque dotibus egregie conspicuam, nec contemnendae hereditatis, quam vel ipsa nanciseretur, vel suis, si qui forent, liberis aliquando cernendam relinqueret, exfortem futuram. Hanc ut ille religiosis prius oculis conspexerat, ita etiam mox teneris & amantibus sibi appetendam esse constituerat. Nec ipse, cum satis spectabilis & amore dignus, honestissima præterea gente procreatus, & insigni munere in illustri Athenæo condecoratus esset, multum diuque lautæ huic prædæ insidiari coactus fuit; cuius cum feliciter annuentibus Gratiis ipsoque Deo immortali honestissimis votis adspirante potitus fuisset, cum eadem sanctissimi matrimonii vincula, Hammonæ Westphalorum cum publici Juris Antistes esset, contraxit. Et quamvis hujusmodi suavis ac nullis plane querimoniiis divulsa copula parum fuerit diurna, dum se ultra sexennii spatium vix extendit, non paucos tamen nec degeneres dulcissimi amoris fructus reliquit. Nata enim ibidem quinque nexus hujus conjugalis sunt pignora, quorum tria per singularem divini Numinis gratiam ac favorem adhuc supersunt, & ut in seram senectutem diu prospere-

spereque supersint, ea, qua par est, humanitate & benevolentia precamur, Filius unus, duæque Filiæ; Vir nempe amplissimus & consultissimus *Joannes Alexander Guinandus Pagenstecherus*, Collega noster honoratissimus, & jam per aliquot annos una cum defuncto clarissimo Parente suo non sine insigni ejus lœtitia Juris doctrinam in hac bonarum artium & scientiarum officina docens, nuper etiam à celissimo Saynensium ac Hohensteinensium Dynasta ad Cancellariæ ejusque Directionis, ut loquuntur, munus lautissimis sane conditionibus, nobis gratulantibus dicam, an potius doleantibus? invitatus fuit; tum Filiæ omni virtutum atque elegantiarum genere præ multis aliis fulgentes, *Joanna Aleida Maria* natu maxima, & *Friderica Mechtildis Eleonora*, quarum illa ante aliquot annos Viro plurimum reverendo & acutissimo *Guilielmo Geisweitzio*, Oraculorum divinorum apud populares suos Trajectinos Interpreti fidelissimo, simulque supremos in Philosophia honores ob eximiam eruditionem solenniter consecuto, in matrimonium concessa fuit, quem hic quoque, singulari Dei providentia, hoc ipso tempore, quo sanctissimus Sacer ipsius & ultimo malo correptus erat, & exspiravit, & omnium nostrum matris terræ mandatus est, præsentem videtis; hæc vero omnibus virgineis ornamentis commendata etiamnum in solitario vitae statu subsistit. Alter vero Filius *Andreas Guilielmus* natu secundus ante quatuor circiter menses, cum jam eidem celissimo Saynensium Domino à consiliis Regiminis & Consistorii constitutus, imo etiam diversis ingenii doctrinæque monumentis singularem Majorum vestigia premendi ardorem spirantibus

D famam

famam laudesque consecutus esset, in ipso flore ætatis lenta tabe decessit, non sine incredibili dolore Parentis, jam tum ægrotare & paulatim faticere incipientis, ut nos ipsi quoque magis hinc magisque male ominari, & longe pejora, quæ nunc secura sunt, præmetuere cogeremur. Filius vero natu minimus *Guernerus Carolus*, tenerrimus adhuc infans cum esset, in ipso itinere inter Hammonam & Vesaliam, in ipso, inquam, curru, cum sanus paulo ante valensque fuisset visus, subiit torminibus tenerum atque obnoxium pueruli corpusculum enecantibus non sine gravissima utriusque Parentis perturbatione extinctus, ac Vesaliæ sepultus est.

Revertor ad ipsum, Auditores honoratissimi, defunctum clarissimum quondam Collegam nostrum. Rebus domesticis ita jam constitutis non otio & voluptate diffluere incipiebat, non ignavia & mollitie marcescebat, sed nunc magis magisque tam studiosæ juvenuti quam orbi erudito inserviendum esse statuebat. Ad egregios quosque conatus laudes paternæ ejus perpetus perpetuo fodiebat velut stimulis. Hæ faces subjiciebant assiduas; hæ calcar addebant sua sponte currenti; hæ nihil ipsum humile, nihil vile & abjectum sapere oportere monebant. Interea vero dum ita Hammonæ adhuc commorabatur, proximo quidem, postquam eo se contulerat, anno ad ordinariam Juris docendi provinciam & Syndici quoque munus in *Herbornensi Athenæo* sustinendum invitatus fuit; verum eos honores comiter deprecabatur, & Hammonæ persistere malebat. Sex autem septemve annis interjectis cum

ad

ad eandem Romani publicique ac naturalis Juris statio-
nem clementer à serenissimo ac potentissimo Rege no-
stro in hanc *Academiam Duisburgensem* vocaretur, eam
amplecti non dubitabat. Evocatus hinc paulo ante Vir
amplissimus & consultissimus *Henricus Philippus Zaun-*
schlifferus erat, Juris Sacerdos in hoc Prytanæo per-
egregius, illustrissimo Dynastæ Hanoviensi à consiliis
Regiminis futurus. Is itaque eò velut in patriam ter-
ram, Cynthio flumine Petri Lotichii dulcissimis carmi-
nibus tantopere celebrato irrigatam, cum concessisset,
novus heic Juris Antistes, novus requirebatur Sacer-
dos. Quis autem PAGENSTECHERO nostro
melior aptiorque excogitari potuisset? quis mereba-
tur, cujus in demandando tam insigni munere major
haberetur ratio? scilicet ut eandem hic cathedram,
quam Pater olim egregiis dotibus exornasset ingenti
discipulorum agmine stipatus, cujus ut & Athenæi
totius Curaturam gesserat Avus, nunc ipse similiter in-
genio & doctrina sua decoraret ac tueretur. Venit ita-
que bonis huc auspiciis, impositamque sibi publici Do-
ctoris personam ipsis Nonis Sextilibus Anni vigesimi
octavi feliciter & inter omnium applausus suscepit, di-
cta ex his Rostris Oratione de *Puteali Libonis*, quæ pau-
lo post publicis quoque typis una cum gratulatione no-
stra, quam tunc novo Amico advenienti, & solius no-
minis ac studiorum luce nobis cognito, debere videba-
mur, exscripta fuit.

Quid nunc vero multa vobis, Auditores, de præ-
claris tanti Viri in hanc Academiam meritis, de labori-
bus molestiisque ad tuendam ejus dignitatem ac glo-
riam

riam devoratis, quid de singulari se suasque artes sine omni indecora ostentatione nobilissimæ juventuti commendandi dexteritate loquamur? In latissimum campum Oratio nostra exspatiaretur, si singula paucissimis tantum verbis non dicam enarrare & in medium producere, sed vel leviter attingere vellemus. Quare faciam non quidem quod illi pictores teste Romano scriptore facere consueverunt, qui terrarum situs pingunt, & in brevi quasi tabella totius orbis imaginem amplectuntur, sed potius quod illi artifices praestare solent, qui cum immensum & numerosum nobis exercitum representare gestiunt, paucorum quorundam integra corpora exhibent, ceterorum vero plerorumque sola tantum capita, eaque ne quidem plena & absoluta, superne leviter prominentia adumbrant.

Vocibus pariter Scriptisque Academiæ nostræ decus amplificare studebat; quorum prius cum omnibus, posterius vero cum paucis commune habuit. Academicæ certe juventutis studiosissimus erat, ejusque commoda & profectus omni ope consilioque promovere connitebatur. Hoc Ver sacrum jucundissimum, sibi que, priusquam dimitteretur, diligenter excolendum ornandumque censebat; hoc juvenum semper recens examen existimabat, quod ut in alvearibus suis sibi simul utilissima mella, & universæ hominum societati ac Justitiæ nutriendæ profutura conficeret, unice in votis habebat; latus etiam & honeste glorians, si quid eximii adaugendo & inflammando incitatissimo sedulitatis ejus calori à se præstitum fuisse meminisset. Scriptorum vero ejus satis numerosa seges est. Non ingen-

ingentia quidem volumina, qualia magnum s^epe ma-
lum esse seniorem illum Plinium dixisse recordamur,
sed tamen plura & crebriora, eaque nitida, curiose
elaborata & perpolita producere solebat. Extant ejus
Commentariorum ad Pandectas Partes quatuor annis vi-
gesimo tertio, sexto, octavo, & trigesimo secundo
hujus seculi Lemgoiæ in lucem datae, continentes
Sexti Pomponii Jurisconsulti ad Sabinum libros qua-
tuor priores, è Pandectarum fragmentis erutos, se-
cundum argumenti ordinem dispositos, ac notis per-
petuis illustratos. Singulis curiosæ simul & cum cura
elaborata dissertationes adjectæ sunt, eodem plerum-
que tempore & loco impressæ; quales nimirum illas
censeri oportet, à qua quis ætate testamentum facere
possit, de Agnatione postumi, porro de Lege Falcidia in
caussis piis cessante, de Pactis Tacitis, de Impensis in
rem alienam factis, quæ pleræque denuo superiore
anno Lemgoiæ simul recusæ sunt. Extat ejus *Com-*
mentatio ad L. XX. π. de Evictionibus & Dupl. Stipul.
Exstat Pandectarum Libri primi Titulus Secundus de
Origine Juris, brevibus notis instructus. Exstat Dis-
sertationum variii argumenti Enmeas, merx oppido ni-
tida, Lemgoiæ ante sexennium erudito orbi exposita,
quarum nonnullarum vel solæ inscriptiones, Jephtes,
sive, de Bello populi Israëlitici contra Ammonitas, P.
Cornelius Scipio Nasica optimus, dupli dissertatione ex-
hibitus, Pupillus sub Tutoribus, Muti loquentes, The-
saurus in fundo emto, & quæ plura hujusmodi fercu-
lorum curioso atque eruditio cuivis lectori salivam mo-
tura sunt nomina, elegans Viri palatum nobis declara-
re possunt, præsertim cum titulis ipsa rerum quoque

D 3

series

series respondeat. Extant ejus Dissertationes Orationesve aliae seorsim excusæ, & deinceps Lemgoviaæ quoque anno hujus seculi trigesimo nono sub titulo *Dissertationum Triadis iteratae*; quales sunt *de Sceptro, Majestatis Insigni, de Regali Alluvionum insularumque in Flumine publico natarum Jure, de Appio Claudio Centemano*. Extat ejus *Jus Pegasianum, sive ea Justiniani Pandectarum capita, quæ Pegasi Juri sententias & opiniones de Jure referunt, Annotationibus & Commentariis perpetuis illustrata*, cui *Dissertatio de Pegaso Juris Consulto* accedit; quod opusculum ejus imagine æri insculpta decoratum ibidem anno quadragesimo primo prodiit. Extat denique, qui cantus ipsius cygneus fuisse videtur, *Rectoratus Tertius*, sive *Oratio de Advocacione Cæsariensi*, cui me iterum perpetuum mutuæ amicitiae pignus votivo applausu apponere voluit, superiore anno in lucem prolata; ne de aliis ejus elegantissimis monumentis supra passim in rerum ejus gestarum & fatorum narratione memoratis ulterius loquamur. Ipsiis etiam hebdomalibus rerum variarum narrationibus, in hac urbe more aliarum quarundam publicari, & insueto *Intelligentiarum* nomine vulgo designari solitis suas olim aliquoties observationes eruditas inseruit, quarum unam Filius ipsius nuper defunctus suis Adversariorum Libris ante annum Trajecti Batavorum editis ob materiae raritatem ac leporem annexetendam, ac sic rursus in primendam curavit.

Facile hinc, Auditores, de ingenio & doctrina celeberrimi defuncti Collegæ nostri, quosque labores ad tuendam suorum simul studiorum & Academiæ gloriam

fiam exantlaverit, judicare potestis. Fasces Academicos ter gessit non sine sollicitudine tanto muneri debita. In primum ejus præcipue Magistratum extat quoque non valde eruditum quidem illud, sed tamen, ut opinor, non vulgare aliquod monumentum nostrum, Lemgoviae deinceps inter quædam opuscula ejus denuo recusum. Decani personam gravissimam creberrime cum honore & dignitate summa sustinuit. Denique nihil prætermisit, quod ad Academiam, ad Urbis hujus Palladium, hoc, inquam, cœli depositum sartum tectumque conservandum pertinere arbitraretur. Tanta tamque singularis Viri virtus cum peculiari & *Pagenstecheris* propria dexteritate studiosos artium quarumvis ingenuarum epoptas tractandi conjuncta efficiebat, ut ante quinquennium circiter nobis eum Harderovenses invidenter, quem scilicet ad suscipiendas celeberrimi Fratris sui paulo ante defuncti vices diligenter invitabant. Sed multo decentius, & è re sua magis ei futurum videbatur, omissis Geldris apud Clivenses nostros subsistere, eorumque porro Duisburgensi Sacrario operari.

Quod autem ad mores ejus vitæque genus attinet, eandidus ac minime fucatus erat, ita ut & sales adamaret, & gravitatis minime oblivisceretur. Motibus animi celerrimis in utramque sâpe partem facile agebatur, ut qui temperamenti sanguinei ac cholerici esset. Contingebat hinc aliquando, ut indigna aliqua rerum specie oculis repente objecta facile irritaretur & excandesceret, sic tamen ut placabilis esset, & ingenitæ mansuetudinis memor, ac fere talis, quam le suisse prudens-

dentissimus ille Vates Venusinus aperte ac sincere con-
fitetur; qualemque nihil extra numerum modumque
facturum esse constaret. Rerum omnium divinarum
sacrarumque cultor erat religiosus, ab omni impietate,
ferocia, temeritate penitus abhorrens, adeo etiam ut
toto nonnunquam corpore ad Cyclopicam quorundam
profanorum audaciam, ad quaelibet effutiendi & per-
miscendi libidinem contremiseret, omnes etiam hu-
jusmodi bombomachidas & irrisores ex animo detesta-
retur, quod nos quoque, quibus interiores mentis co-
gitationes non semel aperuit, ex animo testamur. Par-
tium studia & obrectationis intemperiem penitus evi-
tabat. Erga pauperes & egenos erat munificus & li-
beralis, magis etiam affabilis, quam quisquam mortali-
um cogitasset, ut qui multum ex generoso illo men-
tis habitu possideret, qui debellare superbos & sub-
iectis parcere nos monet. Denique talis erat, qualem,
si ignorares, non facile aut temere adires, si paulo
familiarius nosses, nunquam dimittere cuperes; adeo
erat suavis, elegans, & quarumvis eruditarum aut
utilium rerum curiosissimus indagator. Ipsi hoc lon-
go rerum inter nos mutuo actarum usu didicimus,
quarum argumenta non solum in Specimine nostrarum
Emendationum ad Guntheri Ligurinum, sed etiam
alibi, ipso hæc talia non adsperrato, existant. Res non
modo Romanorum, Græcorum, aliorumque populo-
rum, sed etiam res patriæ, res majorum tam suorum,
quam cuiusvis aliorum ei auditu erant jucundissimæ.
Lubentissime præteriorum memoriam refricabat. His
fabulis fructuosis simul & dulcibus oblectabatur. Ha-
rum ope velut coagulo quodam amicitia nostra con-
creve-

ereverat & alebatur, nobis jucundissima, noxia ne-
mini.

In omni vitæ genere domi forisque mirificus appa-
rebat nitor, isque non vanus & inanis, nec vernili le-
vitate quadam, sed singulari judicio & gravitate, quæ
simul perpetuo emicabat, quæsitus. Quod Scriptor
antiquus de quinto Romanorum Rege Tarquinio Pri-
scō, sapientissimo principe, testatur, eum Græcum
ingenium Italicis artibus miscuisse, hoc est, elegan-
tiam ac nitorem industria & frugalitate temperasse,
idem revera de PAGENSTECERO nostro af-
firmari poterat. Uxorem sibi dilectissimam, & cuius
nunquam sine interiore mentis cultu & amoris pristini
significatione recordabatur, jam Hammonæ in flore
ætatis ejus amiserat, non sine insigni, quem ex hac ja-
ctura ceperat, dolore. Venerat huc teneris liberis ac
partim adhuc infantibus ornatus magis auctusque, quam
oneratus; adeo statim incredibili cura & sollicitudine
omnes cogitationes eò converterat, & perpetuo dein-
ceps convertebat, ut eorum cultui, educationi, curæ-
que universæ nihil omnino deesset. Blandissima &
vere beata illa societas conjugalis interrupta erat impor-
tunæ Mortis invidia; sed domesticarum rerum admi-
nistrationi per incredibilem ac vere paternam vigilan-
tiā ipsius, attentionem & sollicitudinem, tum alio-
rum hominum, quorum peculiari servitio consilioque
diligenter uti consueverat, fidem nihil propemodum
decessisse videbatur. Neque enim ex eorum numero
erat, qui dum nitorem & elegantiam sectantur, dum
omnis generis lauitias, dum vasa Deliae, & æs Co-

E

rin-

rinthium, dum marmora, rariores tabulas & imagines insano pretio conquerunt, parum referre existimant, exornentne magis res suas domesticas, an profligent. Nec de eorum erat gente, qui adversus paucos saepe indignos, & satis ipsos, unde cuticulam current, habentes sunt splendidi ac liberales ex iis, quae eos mille pauperibus, immo viduis & orphanis eripuisse, ex are alieno post tot nefarias fraudes, circumscriptiones & mendacia deinceps contracto ac nunquam solvendo appareret: qui de alieno sunt munifici, de alieno comedantur & saginam faciunt, de alieno inflati turgent, de alieno cum pompa & apparatu velut Junonia Sacra portantes lente incedunt, & dum se suosque gradus in umbra metiuntur, crebro subsistunt ac circumspiciunt. Hos ille similesque viperino sanguine pejus oderat, & nos omnes quoque jure meritoque odisse debemus. Hi enim sunt, qui praeter infinita cetera mala incommodaque etiam aliis longe honestioribus quasi regulas praescribere videntur; ne, nisi patrem & ipsi insaniam insanire, pari rapacitate & scelerata latrocinandi consuetudine humanam societatem perturbare, & simul res proprias in aliorum ardilionum gratiam perdere voluerint, quasi extra numerum ponantur, aut ab ineptis judicibus non sine maligno odio & livore contemnantur, deinceps in ipfas has hirudines quasi loco gratiarum actionis, si contabuerint, pariter inuestitur. Et sane Noster ut honeste ac cum dignitate vivendum, ita suum cuique tribuendum esse, ex tribus illis Juris praeceptis, quae olim ipse luculenta oratione adeo commendaverat, pulchre meminisse solebat. Quamvis itaque postea ex tenerrimo amore suo-

suorum in perpetua viduitatis solitudine remanserit, nihil tamen domesticis ejus rationibus erat accuratius, nihil politius, nihil decentius, rectius ac magis ordinatum, nihil, ut paucis omnia complectar, elegantius simul atque frugalius. Et ut appareat, talia ejus indoli atque ingenio, propriisque animi sensibus, non fortuito casui adscribenda esse, eadem, si non major elegantia, idem plane nitor ex tota libraria supellecstile eminebat, quam tanta cura, selectu, judicio, tantis sumptibus & impensis sine rei domesticæ perturbatione conquirebat, & non in aspectum ac vanam oculorum voluptatem, sed potius in usum deliciasque suas & fructus quotidianos coacervabat, ut manifestum unicuique fieret, nihil eum nisi consulto & rationibus bene subductis suscipere; nobis certe, qui ante tres quatuorve etiam menses, cum in prioribus adhuc ædibus ageret, ab eo sera quadam vespera in Bibliothecæ sacrum, ad dispellendum aut mitigandum animi mœrem ex Filii præstantissimi obitu conceptum, invitati eramus, nobis, inquam, certe manifestum esset, has similesque delicias tam ex sacris quam civilibus Scriptorum monumentis nasci solitas, tales thesauros, talia pabula ipsi post Deum immortalem præ reliquis semper curæ cordique fuisse. Nec hujus affectus sui magnitudinem etiam paucis ante mortem hebdomadibus celavit, cum se quamvis valde languentem è cubiculo in proximum Bibliothecæ jam satis iterum nitentis & ab apparitore Academico talium rerum gnaro in ordinem redactæ conclave à suis duci voluit; quo facto postquam ultima vice has delicias suas quasi salutasset & iis in æternum valedixisset, mox animadversa ingenti

E 2

debi-

debilitate sua se iterum cubitum deducere præcepit, nunquam videlicet eodem, ut jam ipse ominabatur, reversurum. Idem & nobis, cum ad eum ultima vice jam valde laborantem inviseremus, & optaremus, ut novas, quas paulo ante incolere cœpisset, ædes adhuc diu sanus valensque, discusso hoc morbo, inhabitaret, placide respondebat, talia nempe sibi vix speranda videri; tempus esse, ut toto se animo, totaque mente ad æterni domicilii meditationem componeret; quod eum etiam, donec sensuum animique compos fuit, diligenter & enixe fecisse confidimus.

Statura corporis fuit eminenti, & speciosa, quali etiam celeberrimum Parentem ejus extitisse narratum meminimus, oculis vividis & amoenis, incessu magis tardo gravique quam accelerato, colore satis bono sanoque; nisi quod hæc omnia paulatim à biennio, si bene meminimus, nonnihil mutari cœperint; donec præterito autumno & ultima hieme ei succedente manifeste hæc omnia in pejus ruere, vires penitus fatiscere, gressus vacillare, ac nihil prosperi jam nobis annunciarere. Accedebant noctes insomnes, inedia & quorumvis ciborum grave fastidium. Sed quot quantisque malis & incommodis Vir optimus & nunc post tantas vitæ hujus miseras vere tandem beatus à clementissimo Deo quasi lustratus fuerit, dicam, Auditores, uberioris clariusque; in quo si paulo peritius, quam à me expectari potuisset, loquutus fuisse videbor, cogitate, me usum verbis monituque experientissimi Medici, qui defuncti curam gessit, honoratissimi Collegæ nostri D. Leidenfrostii, hoc anno magnificos Academiæ fasces habentis,

bentis, & pro sua benevolentia ac facilitate harum rerum imperitiam nostram, sicut cupiebam, instruentis:

Morbus itaque, cuius impetu Vir celeberrimus vivere desiit, nomen cachexiae atrabilariæ gerit, quam fere ignoratam superiorum seculorum Medicis solus ex propria observatione & ex veterum monumentis recte descripsit Boerhavius. Dirissimus quidem ille morbus ex assidua sedendi per multos annos cupidine, & ex perpetuo meditationis & acriorum studiorum exercitio beato Viro natus, per bimam deinde anorexiā & omnino modum somni defectum continuo auctus sub initium hujus anni propter mœrorem ex optimi Filii morte turgere cœpit. Et quamquam in procero & bene facto corpore non mediocre solidarum partium robur sedebat, tamen sub iniqua mole & acredine materiæ, quæ putri proxima erat, sensim natura defecit. Non modo enim vertigo frequens & leipothymia, tum febris continua, quæ ex epidemica horum annorum constitutione typum tertianæ mentiebatur, ac insuperabilis functionum animalium debilitas, & quæ alia se jungenbant non læta cerebri incommoda, ipsam vitæ radicem male affectam docebant; sed etiam externis non parcebatur artibus, quorum carnes arthriticis similes dolores primo, dein his succedentia ulcera maligna, & cedemata ultra modum excruciant. Post variam igitur pugnam, tentatisque per naturam & per medicinam auxiliis non paucis, Vir beatus morbo victus, apoplectico se dedit per ultimos vitæ dies sopori. Animales functiones, sensus motusque videlicet, primò con-

ticuerunt, dein fractis viribus respiratio magnopere labefactata est. Inter omnia viscera cor optimum fuit, postremosque expugnaturi hostis impetus diu sustinuit illæsum, donec subito pulsus remittens indicaret rem esse confectam. Sic igitur exspiravit celeberrimus PAGENSTECHERUS noster, cum non sine admiranda novitate & rerum humanarum vicissitudine, eadem propemodum hora ei duo nepotes ex Filio nascerentur, quorum alter adhuc vivens hinc deinceps memorabilem nativitatis suæ epocham constituere potest, alter examinis in lucem protractus eodem paulo ante simul cum Avo fuit conditus sepulcro, in quo pariter Abavus requiescit. Sic, inquam, vixit, sic obiit, sic exspiravit Vir præstantissimus optimusque, quondam insigne Academiæ nostræ ornamentum & decus, septimo hujus Junii mensis die circa quartam fere matutinam, annum ætatis quinquagesimum sextum agens, unoque, si Parentis ætatem conferamus, minor. Tu vero, beatissima Anima, in celo tandem post tantos tamque graves ergastuli tui cruciatus exantlatos omnibus æterni domicilii deliciis fruere, dum ossa cineresque avitis ossibus ac cineribus adjuncti usque ad felicem instaurationem quiescant.

*O quid Numidico marmore splendidas
Magnis sepe domos sumptibus, Incolæ,
Sublimique juvat condere proximas
Cælo Pyramidum strues?*

Laxis,

*Laxis, cuncta regens Sors ita dum tulit,
Ipsi nos etiam forsitan atris
Non quæsse nihil creditur, & nimis
Amplis degere sedibus.*

*Ne præter meritum Zoilus invidæ
In nos, dum canimus tale, calumnæ
Latrans dira tamen spicula dirigat,
Et virus tacitum vomens;*

*Nil præter requiem mentis in angulo,
Produc Tyrio murice nesciam,
Musarumque mibi nectareas dapes
In votis puero fuit.*

*Has mirabar avens, has modicæ capax
Tantum sortis opes; has ego vel bonis
Luculli veteris rebar & Attali
Majores & Achæmenis.*

*Ridebat viridis scena superbiæ,
Quum rarus tenuis lamberet kortulum:
Hærebat teneris vivida sensibus
Tranquillæ facies casæ:*

Tunc

ORATIO.

*Tum parvo miseris degere liberum,
Quæ fortuna foret, sub lare debitiss,
Nec fastu tumidum, nec timidum metu;
Sed Musas colere & Deum.*

*Optabam, memini, jam puer, ut foret
Talis vita mibi, sic fluenter dies,
Quædam pulchra simul naëtus opuscula
Post spretas fueram nubes.*

*In musco recubans hæc tener ad sacræ,
Qua fons friget, aquæ murmura voveram,
Orbus matre simul cum patre, non tamen
Gratis orbus amiculis.*

*Qua, natale solum, culta Teceliæ
Simplex forma meæ, qua Visarim bibis,
Altrix Brema, tuum, qua tenui secat
Rhenus parte Bataviam.*

*Majus forte dein si quid & unctius
Adjectum fuerit, gratia Numinis
Indigno, fateor, contulit, & volens
Clementi tribuit manus.*

In

O R A T I O.

41

*In laxis strepitum nec tamen ædibus
Novi parva sequens, quem Sybaritici
Luxus dulce malum, quem famulantium
Infidi parvunt greges.*

*Umus turba diu qui fuerat suo
Manes visus hero, quum fugeret, sophus
Neglexit Cynicus: nos agitent pigri
Ventres, pulpa frequentior?*

*Hæc jam nunc igitur vil metuens cano,
Cœlesti stimulum pectoris impetu,
Et vati solitam concipiens facem:
Quid magnas struimus domos?*

*Curis sollicitum peccus Hymettiae
Num mulcere trabes, num poterit lapis,
Quem formosa Cypros, quem Paros, & cavis
Mittit Synnada collibus?*

*Vesane nimium frena cupidini
Num sic incipimus contrahere, & moram
Aut rugis aliquam, lanificis tribus
Aut afferre sororibus?*

F

Quo

O R A T I O.

*Quo nos cunque leves tendimus impetu
 Alas sepe gravi, quicquid inanibus
 Votis concipiimus, nos spatium manet
 Tres tantum cubitos patens.*

*Quanto nobilium syrmate splendida
 Nos circumdederit Gloria nominum
 Partorum studiis, aut opibus Tagi,
 Et sumus sumus & sumus.*


*Archytæ Calabro litore, Parthico
 Crassi membra jacent ludibrium Notis,
 Pompeji Phario; Nirea reddidit
 Therstæ similem rogus.*

*Magnis en iterum vocibus intono :
 Seu sumus tenues, seu Ducibus pares
 Et Regum titulis, nos tamen ultimò
 Claudent quatuor asseres.*

D I X I.



ANNO-



ANNOTATIONES *ad præcedentem Orationem.*

Quoniam permulta ad genus & originem defuncti celeberrimi Collegæ nostri HENRICI THEODORI PAGENSTECHERI pertinentia à nobis in ipsa Oratione studio prætermissa sunt, quæ videlicet melius legentium oculis exhiberi, quam vel attentissimæ concionis auribus inculcari possunt, ideo nonnulla memorata dignissima ad ulteriorem eorum, quæ diximus, lucem & confirmationem, tum & alia quædam fortassis nostris injucunda hic annexenda censuimus. Multis variarum cognationum & affinitatum circumstantiis ambagibusque, quarum amplissima descriptio cum justis quoque documentis & narrationibus nobis ad manum est, recisis, ea, quæ potissimum sunt, ipsosque Viri clarissimi Majores tangunt, in compendium redigemus.

Pag. 10. lin. 24. *Alexandrum Arnoldum Pagenstecherum, primum &c.* Insignis hujus Antecessoris, quo Parente gavisus est clarissimus quondam Collega noster, vitam ac merita descripsit Vir doctissimus *Adamus Menso Isenckius*, Historiar. & Eloquent. in Academia Groningana Professor, Oratione funebri ibidem proximo post ejus obitum anno 1717 in lucem editâ; unde procul dubio Auctores der neuen Zeitungen von gelehrten Sachen notitiam suam hauserunt, sicut inde iterum Vir cl. *Christianus Gottl. Föcherus im allgemeinen*

F 2 nen

nen Gelehrten - Lexico materiam decerpit. Sed etiam ipse hic Alexander Arnoldus Pagenstecherus plurima de origine, vita fatisque suis ac studiis attrigit in luculentissima Oratione, quam *Memoriam Bockelmannianam* appellavit, quamque olim Groningæ anno 1510 CXCIV. a. d. v. Kalend. Quintil. in auspiciis ordinariae ibidem Juris Professionis habuit, ac deinceps Johannis Friderici Bockelmanni, Heidelbergensis ac Leidensis Antecessoris, sui simul popularis ac quondam etiam Doctoris, *Juri publico Imperii Romano-Germanici* à se iterum edito adjungendam curavit. Ejus hic tanto libentius mentionem facimus, quia plurima illuc singularia ad Pagenstecheranas non modo cognationes & affinitates, sed etiam ad hujus Duisburgensis Academiæ notitiam egregie facientia occurunt, præter alia scitu jucundissima has & vicinas regiones spectantia, quorum Vir ille celeberrimus mirificus ac vere curiosissimus indagator erat.

Pag. 11. lin. 1. *Henrici Schluiteri, Judicis & Quæstoris Gronoviensis &c.* Ita in Oratione Cl. Ipinckii modo memorata hunc Collegæ nostri Avum maternum deprehendi nominatum. Sed in Manuscripto Viri illustris Guernerij *Justini Pagenstecheri*, Procancellarii quondam Hassiaci, luculento & totius Gentis Pagenstecheranæ Genealogiam simul Historiamque comprehendente, video cundem *Arnoldum Schluiterum* adpellari; ut fortassis non immerito celeberrimus Harderovicenæ Academiæ Jurisconsultus *Gerhardus Schröderus* in Oratione funebri memoriae Viri consultissimi Joh. Friderici Wilhelmi Pagenstecheri Anno 1510 CC XLVI. habita pag. 11. eundem utroque praenomine *Arnoldum Henricum Schluiterum* vocaverit. Erat vero hic *Schluiterus* non modo ipse *Judex & Quæstor Gronoviensis*, nomine illustrissimi Comitis Teklenburgici, sed etiam Patrem habuerat *Georgium Schluiterum*, Tecklenburgensem, ab eodem Comite Prætorem in patria constitutum, Matrem vero *Aleidanam Saetkampiam*. Uxorem autem duxerat *Adelheidam de Bentheim*, amplissimi & insigni stemmate progeniti *Christophori de Bentheim*, Steinfurtenis aulæ quondam *Præfecti*, filiam. Refer-

Referri præterea memoratus *Arnoldus Henricus Schlüterus* iste inter eruditos Scriptores meretur. Teste enim *Iſinckio* loc. cit. is *Julii Pacii Instituta Juris* variis accessionibus locupletavit.

Pag. eadem, lin. 21. *Arnoldum Gisbertum Pagenstecherum*, ante sexaginta & quatuor annos, &c. Obiit nempe hic Avus paternus clarissimi quondam Collegæ nostri in hac urbe Duisburgo Ao. cīcīc lxxxviii. die xxviii. Junii, ætatis lxxiiii. Natus enim fuerat Patre *Johanne Pagenstechero* (de quo mox plura dicemus) & *Anna Lolevinckia Bentheimii* Anno cīcīc xv. die 1. Aug. habueratque in sacro baptisme sponsores Arnoldum Jodocum, illuſtrissimum Bentheimicum Comitem, & Gisbertum auf den Verge, Commendatorem, ut adpellant, in Othmarſchen, nec non Viri antiquitate generis & eruditione ac Scriptorum multitudine nobilis Johannis à Munster in Vortlage prope Lengericam in Comitatu Tecklenburgensi Filiam. A teneris hic unguiculis consecratus studiis & missus est deinceps Steinfurtum, Lugdunum Batavorum, Franequeram, Groningam, & Trajectum ad Rhenum, gavisusque fuit inter alios summos viros etiam Doctoribus Salmatio, Heinsio, Grotio, Vossio, Boxhornio, Scriverio, Borgesio, ac similibus. Anno ætatis xviii. in comitatu illustris federatarum Civitatum Belgicarum Legati adivit Galliam, ibique per aliquod tempus in Aula regia commoratus est. Recepis deinde summis in utroque Jure honoribus redux in Patriam à Comite Bentheimico primo in numerum Consiliariorum cooptatus, simulque Aulae Judex constitutus, mox etiam post obitum Parentis in ejus locum Secretoribus Consiliis adhibitus, ac Cancellarius creatus fuit. In hac dignitate ab anno cīcīc li. usque ad annum cīcīc lxvii. non sine summo honore & gratia permanxit, usque dum ob inconstantiam Domini sui, Ernesti Guilielmi, Comitis Bentheimici, proximo anno pontificia Romanensium Sacra amplexi, omniaque vehementer instinctu Monasteriensium non sine subditorum gravissimo luctu & mœrore turbantis, è patria discedere maluit, tantæ

F 3

vide-

videlicet, & adhuc majoris calamitatis ac turbarum impendentium pertæsus. Descripsit illas præter alios *Johannes ab Alpen* in Vita Christophori Bernhardi, Episcopi Monastrensis; ubi Libr. VI. num. 28. pag. 88. Tom. II. de ipsis agit. At minori partium studio omnibusque cum circumstantiis hæc omnia enarrantur in Libro, cuius Titulus est, *Illustissimorum quatuor Comitum Bentheimensum Clamor ad Cælum*, qui Vesaliæ in Fol. apud Andream Lupium A. c. 1515C LXXXVII. impressus, etiam hic Duisburgi & Francofurti ad Mcenum prostare dicebatur. In hoc ampio satis Volumine non modo aliquoties hujus *Arnoldi Gisberti Pagenstecheri* fit mentio, ex qua fides in Patriam, ipsumque illustrissimum Comitem, ejusque legitimam Uxorem & Liberos luculenter elucer, sed etiam non pauca occurunt studio & labore ipsius confecta. Relicto itaque sponte natali solo, & summis, quas ibi administraverat, dignitatibus A. c. 1515C LXVII. hic in Cliviam nostram se cum tota familia contulit, statimque à potentissimo Electore Brandenburgico, ac Duce Clivenſi, Friderico Guilielmo Magno, in numerum Consiliariorum receptus, & Legatus perpetuus, qui in Aula Neoburgica, quæ tum Duffeldorpii commorabatur, resideret, creatus, simul etiam Academiæ hujus Duisburgensis Curator constitutus est. Ob ultimam hanc dignitatem evenit, ut heic Duisburgi Duffeldorpio scilicet vicinæ domicilium figeret. Duas uxores habuit, primò *Annam Elisabetbam de Volckershausen*, Viri nobilis, Johannis de Volckershausen, Domini in Volckershausen & Duncum, & Adelgundæ de Werdum Filiam; ex quo matrimonio, nobilissimas cognationes & affinitates Werdumorum, Beningarum, Beverorum de Langen, Etzbachiorum, Onstarum, Tammingarum, Welefeldiorum, Nobilium de Hanen, ut etiam de Diepenbroek, similiisque generosarum familiarum apud Frisios & Bentheimenses ei contrahente, inter plures alios liberos natus est *Ernestus Philippus Pagenstecherus*, de quo in ipsa Oratione nonnulla jam diximus; deinceps vero hac priore Uxore anno 1515C LV. mortua alteram *Barbaram de Rodenberg*, defuncti Collegæ nostri

nostri Aviam, Diderici de Rodenberg Civis & Magnarii Vesaliensis, nec non Susannæ de Beyer Filiam, illi similiter nobilissimas in Clivensi tractu alibique Beyerorum, Rodenbergiorum, Bachmannorum, Raesfeldiorum, Motzfeldiorum, aliorumque similium plurimorum familias sanguine vel affinitate conciliantem. Ex hac præter tres alios liberos ei præcipue nati fuerunt *Alexander Arnoldus Nostri Pater, & Patruus Guernerus Justinus Pagenstecherus*. Mortua illa fuit heic Duisburgi A. C. 1510 C. LXXXVII. die xv. Sept. & in templo Salvatoris sepulta, cuius lateri mox Maritus, ipse videlicet *Arnoldus Gisbertus* sequente anno defunctas, in eodem sepulcro appositus est. Utrique Parenti sequens Epitaphium confecit, ac cippo sepulchrali insculpendum curavit pius filius modo memoratus *Guernerus Justinus, Procanellarius deinceps Hassiacus*, ut ipse in MSto de Pagenstecherorum gente & familiis cap. XII. commemorat :

STA. VIATOR.

ATQUE. EX. PRAETERITIS. DE.

FUTURIS. JUDICA.

REPERIUNTUR. HIC.

OSA. CINERESQUE.

PIE. DEFUNCTORUM. CONJUGUM.

VIRI. DUM. VIVERET. AMPLISSIMI. STRENUI.

ET. PRAENOBILISSIMI. DOMINI.

DNI. ARNOLDI. GISBERTI.
PAGENSTECHERI.

JC. TI. CONSILIARI. BRANDENBURGICI.

ET. LEGATI. RESIDENTIS. AD. AULAM.

NEOBURGICAM. NEC. NON. ACADEMIAE.

DUISBURGENSIS. CURATORIS.

ANTEA.

ANTEA.

CONSILIARI. INTIMI. CANCELLARI. ET.
JUDICIS. AULICI. BENTHEIMIENSIS.

NATI. BENTHEIMII. A. D. KAL. AUG. M. D. C. X. V.
DENATI. DUISBURGI. A. D. IV. KAL. JUL. M. D. C. L. XXXVIII.

UT. ET.

AMPLISSIMAE. PRAENOBILISSIMAE.
ATQUE. ORNATISSIMAE. MATRONAE.

DOMININE. BARBARAE. DE,
RODENBERG.

NATAE. VESALIAE. A. D. XVIII. KAL. FEBR. 1639.

DENATAE. DUISBURGI. A. D. XVII. KAL. OCTOB. 1687.

JUCUNDAM. EXPECTANTES.

RESURRECTIONEM. QUAM. JUDEX. UNIVERSUS.

IPSIS. BENIGNE. CONCEDET.

AMEN.

Hec paulo prolixius de vita, fatis obituque hujus *Arnoldi Gisberti Pagenstecheri* adjicienda censuimus, quoniam ejus, ut & *Alexandri Arnoldi*, nec non *Henrici Theodori*, defuncti Collegae nostri, hoc est, Avi, Filii & Nepotis, notitia paulo uberior etiam ad historiam hujus Academiae pertinere videtur. Præter narrationem *Guerneri Justini Pagenstecheri* de hoc Parente suo manuscriptam, exstant etiam *Job. Jac. Gantesvileri* S. Th. Prof. Duisb. Programma de eodem, Cal. Jul. 1688. *Jobannis de Blecourt*, Pastoris Duisb. Leichpredigt über des Hrn. Arnoldi Gisberti Pagenstechers Absterben; *Hermannii Honnii*, Reet. Sch. Duisb. Lebens- und Todes-Gedanken bey dem sehl. Hintritt des Hoch-Edlen, Best- und Ge-strengen Hrn. Arn. Gisb. Pagenstechers &c. nec non Hrn. *Johan Adolfs von der Reck* Cypressen-Blat wegen Absterben der Fr. Barbara von Rodenberg.

Pag.

ANNOTATIONES.

49

Pag. 12. lin. 19. *Guilielmum Jacobum, virum manu strenuum &c.* Is Arnoldi Gisberti ex Barbara Rodenbergia filius natu maximus, & Alexandro Arnoldo Fratre suo bie-nio major, natus erat Bentheimii Anno c 15 150 LVII. die 7. Aug. Primo amplexus Palladem studiis operam navabat Duisburgi, Leidæ, Groningæ & Trajecti Batavorum, sed deinceps militiam secutus Electori Brandenburgico, ac porro Regi Daniæ inservivit, ad Optionis seu Locum tenentis, ut ad-pellant, dignitatem promotus, altiores etiam gradus brevi meriturus, nisi Oldenburgi inter præsidarios milites ardentib- febre correptus, & in flore ætatis, Anno c 15 150 LXXXV, 2 Januar. vitæ XXVIII. extinctus fuisset.

Ibid. lin. 22. *Guernerum Justinum procreavit.* Hic jam supra nominatus Arnoldi Gisberti ex Rodenbergia filius natu minimus, & defuncti Collegæ nostri Patruus, in primis etiam insignem promeretur laudem. Natus est hic Duisburgi die XXIII. Decemb. Anno c 15 150 LXXI. ac mature stu-diis consecratus rudimenta depositus sub Joachimo Neandro, tunc Scholæ Düsseldorfensis Moderatore, ac postea apud Bremenses sacrorum Oraculorum Interprete, celebri illo piorum Canticorum Auctore. Hic Duisburgi deinceps ea-dem Studia continuavit, ubi d. XIIII. Sept. c 15 150 LXXXVI. ad publicas Lectiones promotus est, ibidemque sub Fratre suo *Alexandro Arnoldo*, sicut deinceps Francofurti ad Ode-ram, Halæ Saxonum, & Regio Monte in Borussia, ductu illustrium virorum *Henrici Cocceji*, *Samuelis Stryckii*, alio-rumque egregia juridice doctrinæ incrementa cepit. Ama-bat autem præter hanc regiam, ut a Platone vocatur, scien-tiam etiam Humaniora, in primis Heraldica, Historica, Ge-nealogica, ac similia studia. Videtur sane haec causa fuisse, cur luculentam de universa *Gente Pagenstecherana* Commen-tationem magno studio & labore concinnaverit, quæ ob mul-ta singularia ad has & vicinas regiones, in primis ad West-phaliæ, earumque familias & superiorum temporum histo-riam illustrandam pertinentia mereretur, ut publica luce do-nata prostraret. Ex ea præcipue pauca aliis innumeris rebus

G

&

& personis omissis decerpsumus. Post varia itinera per Belgiam, Germaniam, Poloniā, Borussiam, Bohemiam & Daniā instituta redux huc Duisburgum summos in utroque Jure honores A. c 15 150 xcv recepit; ac primo quidem Caſarum Patronum apud Clivenses fere per biennium, deinde publicum Juris Doctorem in Athenaeo Steinfurtenſi per ſeptennium ſingulare cum laude egit, multis ſimul negotiis aulicis, Legationibus, aliisque magni momenti rebus expediendis interea adhibitus, donec A. c 15 1500 III a Serenifimo Hassiae Landgravio Marpurgum primò ad publici Professoris & Consiliarii, deinceps etiam omissa docendi neceſſitate ad Procancellarii dignitatē vocaretur. Ejus diligentiae & eruditioñis monumenta exſtant non pauca. Obiit tandem Marpurgi ante decennium, anno nimirum c 15 1500 XLII, poſtquam ex dupli matrimonio, cum *Johanna Dorothea Winckelsia*, eaque vero defuncta cum *Anna Magdalena Jungmannia* conraacto, duodecim Liberorum parens eſſet factus, quos omnes, natasque hinc affinitates commemorare prætermittimus. Ut nec illa, quae de quibusdam ſequioris lexus in ipſa oratione, aut quae de *Ernesto Philippo*, Alexandri Arnoldi Fratre germano, ejusque posteris diximus, hic uberioris illuſtranda ſumemus, contenti de præcipuis defuncti celeberrimi Collegae nostri Majoribus in recta fere tantum, ut ajunt, linea quædam heic adjeſſe, licet alia quoque plurima inſigne decus huic genti afferentia ſuperfint.

Pag. 13. lin. 1. *Joanne Pagenſtechero non ſolum eadē Cancellariatus dignitate &c.* Proavus hic Anteceſſoris noſtri nuper defuncti, vir plane inſignis, præcipua ulterioris *Pagenſtecherorum* dignitatis funda menta jecit, ſimulque Majoribus ſuis per ſe jam longo temporum trauctu in Dieceſi Mo naſterienſi honeſtiſtimis lucem addidit ampliorem. Natus is erat *Warendorpii* (municipium illud in diſtione Monasterienſi non poſtremum eſt) Ao. c 15 15 LXXV circa Pentecof ten, Patre *Guernero*, ibideſ Consule. Poſtquam acquiſita multarum artium, inprimis vero Jurisprudentiae inſigni notitia Doctoris titulum habita ſolenni Diſputatione Marpurgi receperat,

rat, proximo anno Steinfurtum vocatus fuit, ut ibidem in Arnoldino Juris doctrinam publice profiteretur; quod tanta diligentia & gravitate præstítit, ut post octennium in ea statione feliciter transactum Anno cīc 150 x ab illustrissimo Bentheimiensium Comite Arnoldo Jodoco Bentheimium in aulam arcesseretur, splendidam Consiliarii, nec non Judicis Aulici & Cancellarii personam gesturus; quod per plurimos annos summa cum integritatis & prudentiae gloria præstítit, donec Ao. cīc 150 l die xxvii Decembris ex novi Calendarii ratione, ætatis anno LXXVI moreretur. Uxorem duxerat cīc 150 iv, cum adhuc Steinfurti Juris Professorem ageret, *Annam Lölevinckiam*, Consulis & Patritii Steinfurtensis *Georgii Andreæ Lölevinckii* filiam, & *Andreæ Lölevinckii*, ibidem Consulis Anno cīc 15 xxx & circa Monasteriensium Anabaptisticorum tumultuum tempora, neptem; cuiusque Avia materna *de Bentheim* dicta ab illustrissimo Bentheimiensium Comite *Ebermino* ex matrimonio circa annum cīc cccc l ad morganaticam contracto genita fuerat una cum Fratre, unde omnes *Bentheimiorum* in Transisalania, Comitatibusque Bentheimensi & Tecklenburgensi Familiæ originem traxerunt. Obiit vero ista superius memorata *Anna Lölevinckia*, Antecessoris nostri Proavia, quinquennio post Maritum, Ao. nempe cīc 150 lv, d. iii Aprilis, cum jam per septennium manuum pedumque usu capta decubuisse, quæ calamitas honestissimæ huic Matronæ contigerat ob terrorem injectum, cum circa finem belli tricennialis Germanici, anno nimurum cīc 150 xlvi, die xxiii Aprilis vidisset, optimum conjugem suum *Johannem* hunc *Pagenstecherum* à prædantibus Suecicis militibus ex Vechtensi Monasteriensium oppido in Bentheimicam ditionem irrumptibus, eorumque Duce *Hans Smael* dicto, intempesta nocte captivum ex lecto violenter abripi, & sine omni vestitu equo impositum barbare abduci, ædibus totis non sine inigni bonorum jactura penitus spoliatis. Nati vete ex hoc ei matrimonio octo erant utriusque sexus Liberi, quorum tertius *Guernerus*, quartus *Andreas Christianus*, uterque etiam

G 2

ibi

ibidem in Oratione nostra memoratus, quintus vero *Arnoldus Gisbertus*, clarissimi quondam Collegæ nostri Avus, fuit. Reliquit etiam hic *Johannes Pagenstecherus* quedam ingenii & eruditionis monumenta. Ejus enim *Disputationes testamentariae*, Steinfurti cum adhuc commoraretur, conscriptas, deinceps edidit pius nepos *Alexander Arnoldus* in unum fasciculum conjectas, velut à Cl. *Irinckio* in Oratione funebri hujus posterioris memoriae consecrata memoratum esse recordor; adeo ut hic tantus vir ad *Mimigardiam doctam* quoque referri mereatur, quam optimus & honoratissimus senex *Jodocus Herniannus Nunningius*, Canonicus Fredensis, multisque aliis dignitatibus, sed adhuc magis candore & eruditione fulgens promisit. Hanc utinam cum reliquis Monumentorum Monasteriensium partibus, scriptisque similibus publicæ luci expositam videremus.

Ibid. lin. 11. *Sed Guernerum etiam generavit, &c.* De hoc *Guerner Pagenstechero*, Johannis Filio, & Arnoldi Gisberti Fratre, ut leviter à linea recta deflectentes pauca adjiciamus, operæ videtur esse pretium. Natus is erat Steinfurti A. c. 1500 IX, die 24. Aug. Literis & in primis Jurisprudentiae Lugduni Batavorum, Groningæ & Coloniae Agrippinae operam navavit, & postquam Aureliae in Gallia summos in utroque Jure honores receperisset per Angliam iter faciens natale solum repetit, ubi ab illustrissimo Bentheimiensium Comite Arnoldo Jodoco Bentheimii & Schuttorfii Judex, nec non Gogravius in Emsbuhren primo constitutus, deinde post septennium ab Hermanno, illustr. Limburgensem & Gehmensium Dynasta, ad Satrapæ dignitatem pluresque honores, postremo à celissima Landgraviatus Hassiaci Gubernatrice Amalia Elisabetha ad supremi Judicis personam Bucholtzii tempore belli tricennialis Germanici sustinendam, aliaque munera etiam in Rintelensium Academia obeunda invitatus fuit; quibus omnibus tandem aut abdicatis aut non receptis Steinfurtum in Patriam reverti, ibique cum Prætoris & Gogravii Steinfurtenis dignitate simul ordinariam Juris in isto Athenæo docendi Professionem suscipere maluit, & ad obitum usque retinere,

retinere, quamvis lautissimis conditionibus ad similem statio-
nem in Heidelbergensi, & deinceps etiam in Viadrina Franco-
furtensium Academia obcundam arcesseretur. Matrimo-
nium iniit hic *Guernerus*. cum *Maria Elisabetha Rutgersia, Gui-*
nandi Rutgersii, S. Th. D. & in Gymnasio Steinfurtensi Pro-
fessoris filia, & *Guinandi* eodem nomine *Rutgersii* nepte,
qui Dordraci quondam in Hollandia mercaturam exercens
inter cognatos etiam *Janum Rutgersum* illum recensuit, Vi-
rum dignitate non minus summa ac Legatione Suecica ad Re-
gem Gustayum Adolphum nomine Ordinum Belgii federati
generalium, quam eruditione scriptisque auro contra cariori-
bus eminentem, simulque propter sororem Ermgardin *Rut-*
geriam Danielis Heinsii affinem, & Nicolai Heinsii (quanti
hi omnes sunt Viri?) avunculum. Ex hoc conjugio octo
liberi sunt nati; ex quibus filia natu maxima *Anna Juditha*
in matrimonium data fuit *Johanni Bernardo Wippermanno*,
supremo apud Comitem Steinfurtensem Stabuli & Venatio-
num praefecto; ex cuius Cognatis quidam *Canonicus*, vulgo
Thum-Scholaster, Bremæ fuit *Engelbertus Wippermannus*, vir
opulentissimus, qui sine Liberis moriens duo insignia admo-
dum stipendia testamento, Ao. 150 150 xxI, die 8. Jun.
condito instituit, cuius unius annuis redditibus quidam ex hac
familia orti ad studia sua excolenda maestarentur, alterius vero
fructu Juris Professor in celebri quadam Academia gauderet.
Illud in Comitatu Lippiaco, hoc in Rintelensium Athenæo
fundatum fuit. Constitutionis verba initialia hæc sunt: *Ego*
Engelbertus Wipperman, Juris utriusque Licentiatus, & Scho-
laricus Metropolitanæ Ecclesiæ Bremensis, memor infirmitatis
meæ, & recognoscens, quod homini constitutum sit semel mori,
bora autem mortis incerta, sanus quidem mente & animo, sed cor-
pore imbecillis, &c. &c. Integra testamenti perquam lucu-
lenti & ampli verba exhibentur à Viro nobilissimo *Guernerero*
Justino Pagenstechero, in MS. de Genealogia gentis suæ, cu-
jus jam aliquoties mentionem fecimus. Idem, quæ de *Guer-*
nero isto superiore retulimus, suppeditavit, simulque ad
Job. Adami Metternach, Pastoris quondam Steinfurtensis,

Leichen-Predigt, seu concionem funebrem A. c1510c LXVIII.
in eum habitam editamque lectores ablegat.

Ibidem lin. 14. *Joannes Vinandus genitori suo in munere Professorio suffectus &c.* Hujus quoque memoria hic renovari meretur. Erat ille *Guerneri* paulo ante memorati filius; Anno c1510c XLIX. ad d. XII. Febr. in lucem editus, Patrique suo ut in munere Professorio, sic etiam in Judicis aulici, Præturae, & Consiliarii dignitate suffectus est. Quæ munia magna cum laude administravit, donec die XXII. Martii anno c1510c LXXXVIII. cœlebs & sine liberis moreretur. Quia legatum, quo ædes suas Athenæo Steinfurteni donavit, à primario Theologo deinceps habitandas, quædam alia quoque notatu digna comprehendit, ipsa testamenti die VI. Martii A. c1510c LXXXVIII. conditi verba hic scientia in perpetuam rei memoriana hic legi voluimus. Sunt autem §. 6. talia: Mein gebautes Hauf, der daran liegende Garte, und was davon dependiret, samt meiner Bibliotheç verehre ich hiesigem Hochgräf. Arnoldino, mit der Condition jedoch, wan die wahre Religion unverfälschet darin profitiert wird, daß selbiges den usumfructum davon haben solle. Wo aber (welches Gott in Gnaden abwenden wolle) man ein anders erleben sollte, vermache ich die Bibliotheç der Universität Marburg; wo aber auch diese inficiet würde, der zu Leyden in Holland. Das Hauf, Hoff und Garte soll an meinen alsdan noch lebenden Cognaten verfallen seyn: Und der älteste Professor Theologiae hieselbst Hauf und Garten ohne Abgang seines Gehalts bewohnen, mit dem Beding, daß er annuatim in mei memoriam eine disputatiunculam oder tractatulum solle in Druck geben, und alle 10 Jahren darab einige fasciculos machen, theils divulgiren, theils bey der Bibliotheç hinsegen. Das Hauf und Garte cum ap- und dependentibus (weshalben sine præacti inquilini onere annuatim der Schul-Rath hoffentlich mit dem Schul-Rentemeister eine Visitation thun wird) propriis suis inquilini sumptibus (dagegen meine wenige sūppellectilia im Hause ohne Versplitterung und dahin gebracht werden sollen) wolle in Dach und Fach halten, den Stein aber, worauf

worauf mein Nahm und Ehrendienst samt Wapen zu graviren, und worauf zu exprimiren, daß es eine Borgmans Freyheit seye, soll die Erbschafft bezahlen, wie dan auch die angelegte Garbe mit Oly, welche sie auch dabey zu thun gehalten seyn; alles unter obige Condition zu verstehen. Hucusque verba ista, sicut in MS. Viri excellent. *Guernerij Justini Pagenstecheri*, quod saepe memoravimus, exhibentur; cuius etiam Oratio inaugralis Steinfurti die 21. Jan. c15 150 xvi. habita conferatur.

Pag. 14. lin. 4. *Abavum memorare Guernerum Pagenstecherum*. Vixit ille circa annum c15 15 L. fuitque Consul Warendorpii, in Dicecesi Monasteriensi. Anno ætatis vige-simo uxorem duxit *Catharinam Hesselingiam*, Henrici Hesse-lingii, Consulis & Patricii Ahusani, Filiam; unde præter alios *Johannus* supra memoratus, Cl. Antecessoris nostri Pro-avus, eft natus. Hujus Guernerij frater *Christianus Pagenstecherus* Hamburgum se convertit, qui ex uxore, quam ibi-dem duxit, præter filios *Joachimum & Henricum* sine liberis iterum defunctos, etiam inter plures filias *Sophiam* generavit, *Alexandro Piccardo*, Evangelico apud Steinfurtenſes Pastorii, sed Ao. c15 15 LXXX. defuncto, nuptam, unde Filius *Johannes Piccardus*, oraculorum divinorum Interpres Benthei-micus, & *Gualterius Piccardus* Nepos, Pastor Groninganus, ac demum Pronepos *Henricus Piccardus* d. xxv. Mart. c15 15 C XXXV. in lucem editus, Dominus in Schlochteren, Colham & Harcksteden, Praefectus hereditarius Cataraactarum Delfzylensium, ac Groninga-Omlandorum inter Ama-fin & Lavicam Consiliarius & Syndicus, prodierunt. Ceteri *Christiani* illius *Pagenstecheri* posteri Hamburgi restiterunt Lutheri partes amplexi. Ipse circa annum c15 15 XX. ibi-dem deceffit.

Ibidem lin. 12. *Etiam Atavum, Tritavum, ceteros que majores per plura jam secula, &c.* Primus omnium de quo aliquid certi atque indubitati referri potest, fuit Consul & Patricius Warendorpensis (1) *Joachimus Pagenstecherus*, circa annum c15 CCC LX; quem in Linea, ut vocant, recta

recta & adscendente sequuntur. (2) *Johannes* circa annum c¹⁵ CCC X. (3) *Baldinus* Ao. c¹⁵ CCC L. (4) *Conradus* circa annum ejusdem seculi octogesimum. (5) *Christianus* Ao. c¹⁵ I^o XX. (6) *Wernerus*, paulo ante memoratus, circa annum c¹⁵ I^o L. (7) *Johannes*, natus c¹⁵ I^o LXXV. (8) *Arnoldus Gisbertus*, Ao. c¹⁵ I^o XVI. in lucem editus. (9) *Alexander Arnoldus*, Ao. c¹⁵ I^o C LIX. genitus; & tandem (10) *HENRICUS THEODORUS*, defunctus Collega noster in hoc ordine decimus. A prioribus variæ etiam familiæ propagatæ fuerunt, quarum nonnullæ in Diœcesi Monasteriensi remanserunt, Romanensium Sacris addictæ, alia Hamburgum concesserunt, Osnabrugam, locaque vicina, Lutheri opinione amplexæ. Nobis hic de *Linea Pagenstecherorum Reformata*, unde Noster ortus, quæque maxime honore, dignitatibus & meritis in rem publicam tam civilem quam literariam eminuit, omnis præcipue sermo fuit, sic tamen, ut pauca tantum è pluribus decerpserimus. Ceterùm ordinem seriemque *Pagenstecherorum* paulo ante à nobis designatam etiam paucis exhibet Vir Pl. rev. *Johannes Bernhardus Grimmelius*, *Oratione de Uso & Abuso Philosophiae*, Burgo - Steinfurti A. c¹⁵ CCC XXXI. edita; ubi quæ pag. 22. & 23. dicuntur, cum his conferenda sunt, cum & Nofer jam defunctus Collega ibidem inter alios commemoretur.

Pag. 24. lin. 9. *Viderat Trajecti ad Rbenum, &c.*
Quamquam hoc ferri posse videtur, cum in ea Urbe Materterā hujus elegantissimæ Scherpenzeliae, Virgo honestissima omnibusque cum pietatis tum ceterarum virtutum ornamenti conspicua, *Johanna Ten Haaff*, deinde vixcrit ac consenserit, cuius ipsa vel potius ejus Liberi ex asse heredes sunt postea facti, quamque invisere non raro solebat, tamen quod eo tempore Suollæ in Transsilania apud Materteram jam nominatam, ut postea accepimus, degerit, cum eam prima vice conspiceret celeberrimus Collega noster nunc defunctus, illud majoris certitudinis causa hic paucis monendum esse duximus.

Pag.

Pag. 32. lin. 23. In Specimine nostrarum Emendationum ad Guntheri Ligurinum, &c. Vide illic Cap. III. à pag. 73. usque ad 87. insertam Epistolam nostram ad Ipsum conscriptam, in qua multa non solum iplius Guntheri, sed Flori etiam, Ciceronis, Nuzarii, Pacati Depranii, Manilii, & Ovidii Nasonis Loca, eaque nonnulla desperata emendare studuimus, ne de aliis hujusmodi mutuae familiaritatis monumentis loquar. Et quoniam talibus deliciis, dum in vivis erat, oblectabatur, nunc quoque in harum Annotationum fine, tum moris nostri ac consuetudinis servandae, tum Ejus amicitiam etiam post obitum hoc simul μνημοσύνων honorandi causa, pauca nova memorabilium Emendationum exempla adjiciam, & quidem talia, qualia ob dudum desperatam locorum restitutionem vix unquam exspectari posse creditum est; qualiaque jam multa diversis saepe Scriptis produximus, & adhuc pene innumerabilia sunt in promptu. OVIDIUS paulo ante nominatus Metamorph. Libr. VIII. l. 284. & seqq. de Apro Calydonio, quem Diana neglectus sui pœnam exigens immiserat, sic canit:

Sanguine & igne micant oculi, riget ardua cervix;

Et setæ densis similes hastilibus borrent:

* *Stantque velut vallum, vel ut alta hastilia setæ. **

Fervida cum rauco latos stridore per armos

Spuma fluit: dentes æquantur dentibus Indis.

Fulmen ab ore venit: frondes adflatibus ardent.

Secundus tertiusque loci citati versus intolerabilem ταυτολογίαν continent; ut mirum non sit, non modo Nic. Heinssium, virum egregium, ita facere solitum, sed etiam alios alterutrum obelo configere. Hic verò videoas diversum doctorum hominum palatum. Heinsius, cui vox *vallum* benè sapiebat, utpote ex earum numero, quæ ei salivam movent, tertium versum retinendum, secundum verò *Et setæ densis, &c.* ejiciendum censet. Nec alterius sententiae fuit vir summus J. Frid. Gronovius Libr. III. Observat. Cap. 18, ubi

H etiam

etiam *vallus* vel *valli* reponi malebat. Sed hoc parum refert. Rectè vero, ne tot cognatae voces inscite iterarentur, è MSS. *ardua & densis præ horrida & rigidis*, ut in quibusdam fuit, probata sunt. Si etiam loco τὸ ἀρδέν in fine legeretur *arent*, ut Nic. Heinsius divinabat, non displiceret. Contra Cel. Petro Burmanno alias hic gustus est; cui verba *bastilibus borrent* tantæ sunt deliciæ, ut neutquam ab hac lance videantur excludendæ. Mavult itaque versum posteriorem *Stantque velut vallum, &c.* relegari; quia tam pertinaciter contenditur alterutrum, contra jus fasque tamen, abigendum. Sed si *borrere* eo sensu tam latinè dicitur, non minus etiam voces *vallum* & *vallare* isto sensu eleganter adhibentur. Pontic. Libr. I. Epist. II. §. 23. *Tecta rigent fixis veluti vallata sagittatis.* Confer. Gronovium l. c. nec non Nic. Heinsium ad Ovid. Epist. Heroid. IV. §. 159. Amor. Lib. I. El. XIV. §. 15. & Fastor. Lib. III. §. 449. Ac nescio, an non in hoc posteriori major sit elegantia, quam in altero. Non mirum itaque, cum Heintio Gronvioque facere Joh. Guiliel. Capoferreum. Idem jam olim senserat Andr. Naugerius; qui tamen æque ac Herc. Ciofanus utrumque versum pro Ovidiano longe cautius agnoscit, et si ob solam evitandæ tautologiæ necessitatem, cum medicina deesset, alterutrum repudiandum censeat. Indicat nempe hoc ipso vir optimus, se credere revera, in alterutro grande, sed incurabile ulcus esse, infelicibus asteriscis in margine lectori significandum. Et ita est. Uterque versus genuinus est, & si vulnus curetur, ob eximia verba totiusque structuræ imaginem Nasone dignissimus. Posterior nempe, seu tertius versus solus in his verbis, *vel ut alta bastilia setæ*, sceleratè corruptas ac interpolatus est, novumque mihi dat præterea argumentum, ut crebro notavi, in hujusmodi vitiosis repetitionibus ferè semper posteriores interationes ex corruptione fluuisse. En verò genuinam Nasonis scripturam. Emenda mecum feliciter ita:

*Sanguine & igne micant oculi, riget ardua cervix;
Et setæ densis similes bastilibus borrent,*

Stant

ANNOTATIONES.

59

Dato Stantque velut vallum, velut edita in histrice tela.

Fervida cum rauco latos stridore per armos

Spuma fluit: dentes æquantur dentibus Indis.

Fulmen ab ore venit: frondes adflatibus ardent.

Hanc verissimam Poëtæ scripturam fuisse affirmare non erubesco, qua nihil elegantius ab eo proferri potuit. *Tela edita*, id est, in altum erecta. De *biftrice* omnia sunt nota, deque ejus feris instar acutissimorum telorum hastiliumve toto tergore editorum & semet erigentium. Vide Idyllium II. Claudiani de *Histrice* data opera conscriptum, ubi setæ ejus vocantur *tela, jacula, hastilia, missilia*, & Ý. 10. pari colore dicitur: *Stat corpore toto Silva minax, jaculisque rigens in prælia crescit* *Picturata seges.* Calpurnius Ecl. VI. Ý. 13. *hirsuta spinosior biftrice barba;* ubi etiam in quibusdam MSS. vox *biftrice* in *biftrice* erat corrupta. Hic vero sive ex genuino *tela* fuerit exigua mutatione *setæ*, & ex *biftrice* totidem literis *hastilia* corruptum, sive illud postea à mangone adjectum, postquam ex *biftrice tela* esset literis aliquot abbreviatione elisis *hastilia* depravatum, facillimè ejusmodi ulcus irrepere potuit, quod nunc funditus sanatum esse nemo in hac arena versatus & sincere judicans dubitat. Quoniam eadem vox *tela* præter plures alias etiam corrupta est in desperatissimo SILII ITALICI loco, eum hic omissis similibus aliis tempestive emendabo. Verba Poëtæ Libr. XVI. Ý. 558. & seqq. sic hodie leguntur:

Tum jaculo petiere decus, spectacula Circi

Postrema, & metæ certarunt vincere finem

*Burrus avis pollens, quem misit ripa metalli, **

Qua Tagus auriferis pallet turbatus barenis,

[Accola Burnus avis majorum & stemmate clarus,]

Et Glagus, insignis ventos anteire lacerto, &c.

Describuntur eo libro ludi & certamina, quæ Scipio in honorem Patris Patruique sui ad tumulum eorum in Hispania celebra

H 2

branda



brandā curavit. Hoc verò loco describitur certamen, quod in sagittis mittendis consistebat, ultimum. Versum quintum *Accola Burnus avis, &c.* cum ob tautologiam, tum ob sensus absurditatem, in novissima Editione Cl. Drakenborchii ejectum videmus, licet in MSS. plurimis ac editionibus reperiatur, præter Puteaneum & Oxonium. Alii damnarunt tertium versum, *Burrus avis pollens*, cuius hemistichium *quem misit ripa metalli* similiter ineptum & sibilo dignum est. Audiamus ad eum notata verba Nic. Heinsii & Drakenborchii. *Hunc*, inquit ille, *versum Puteaneus agnoscit, sed ejus loco ejicit illum*, Accola Burnus avis majorum & stemmate clarus. *Accedit Puteaneo Oxonius quoque, nisi quod in illo Burrus sit.* Drakenborchius hæc deinde addit: *Uterque versus, & quem Mſti, & quem vulgati libri agnoscunt, abest à priscis editionibus, Romana principe, Mediolanensi, Marſi & Martini Herbiſpolensis.* Primus vero Nicander in *Juntina illum*, quem cum Heinsio hinc ejecimus, protulit. *Qui vero ex Mſtis revocatus est, nec Marſo ignotus fuit.* Nam ex eo voces Burnus & avis exponit, idque ante vocabulum *versus seq.* paller, cum subditius *versus*, in quo eadem sunt voces, *versu* sequenti postponatur. *Verum ne sic quidem locus integer est.* Quid enim est *ripa metalli?* aut quis ita loquitur pro *ripa*, in qua aurum repetitur? Vides hinc utrumque, & tertium & quintum, loci citati versum in MSS. Codicibus finisse omnibus, uno alteroque excepto; Romanæ principis editionis auctorem vero alterum ejecisse, quam deinde nonnullæ veteres securæ sunt temere. Nic. Heinsius etiam suo more, ubi desperata occurunt, & quibus medicinam afferre nequit, nec ab alio afferi posse credit, ejecit quintum, quia is fœdior apparebat tertio. Sed uterque genuinus est, non subditius, verūm gravissime corruptus, & ab interpolatore fœdè contaminatus. Recte sensit Doct. Drakenborchius, ineptè in tertio versu esse dictum *quem misit ripa metalli.* Nemo ita loquitur, modo latine loqui didicerit, ad tale quid experimentandum. Burrus ille, qui præmium in hoc certamine obtinuit tanquam victor, qualis mox y. 568. describitur, etiam laudari hic

hic ob artem, non ob solam originem debebat. Et fecit hoc fane Silius Italicus, ut mox videbimus, Poëta satis prudens, &, si per sanctissimos dominos Librarios liceat, minimè inceptus. Hæc iraque verba *quem misit ripa metalli mendosa* sunt sine controversia. Porro in quinto versu audacter nunc, non sine insigni omnia planè perdendi licentia, & consuetudine, cui fortiter & cordate resistendum est, perniciofissima, ejecto, sed restituendo in ordinem suum, priora verba *Accola burnus avis*, vel *Accola burrus avis* similiter fœde depravata sunt. Nam vox *avis* jamjam de Burri majoribus præcessit, & verba ipsa inepta, absurdā, ταυτολογίας plena, ac simul sine sensu sunt. Uterque versus sic funditus sine dubio emendandus, ac totus locus ita legendus:

*Tum jaculo petiere decus, spectacula Circi
Postrema, & meta certarunt vincere finem
Burrus avis pollens, quem missis figere telis,
Qua Tagus auriferis pallet turbatus barenis,
Laudabant quidvis, majorum & stemmate clarus;
Et Glagus, insignis ventos anteire lacerto, &c.*

Quis de tam capitali iterum restitutione dubitare potest, si omnium literarum apicunque similitudinem cum depravata lectione vulgata conferat? Quis hoc casu contigisse putet, ut pro corruptis illis *misit ripa metalli* restitutum à nobis fuerit tanta scripturæ similitudine, *missis figere telis*, & deinde pro *accolabur nusavis* felicissimè laudabant quidvis, vel litera initiali, ut solet, omissa, *audabant quidvis?* Manifestum est, ex missis fuisse *misit*, ex *figere telis*, vel convulsis syllabis ex *fige retelis* fuisse *ripa metalli* corruptum & interpolatum; deinde verò ex *audabant quidvis* ineptum illud fabricatum *accola burnus avis*. Et vide jam, quam elegans & opportunus sit sensus nexusque. Burrus, inquit, avis pollens, & stemmate majorum clarus, quem laudabant homines in Hispania, unde scilicet ipse erat, quod tanta peritia in arte jaculandi esset, ut quidvis telis missis figere posset. Quid cl-

H 3 rius,

rius, pulchriusque fangi potest? *Laudabant sc. multi homines.* Sic idem Silius Libr. II. v. 410. & 411. *Ostentant,* salutant, eadem voce *homines subintellecta*, & paucum alibi, ut & ceteri omnes. Sic eodem Libr. II. v. 126. ut & alibi versu interposito saepe orationis nexum continuat, ut hoc loco. Alioquin etiam Libr. VIII. v. 385. dixit *avis pollens.* Viden itaque, locum conclamatum & depositum nunc tandem plene curatum esse? In eadem ludorum & certaminum narratione Lib. XVI. v. 506, paulo scilicet ante, male etiam in *SILIO* legitur:

*Nec jam quem sequitur tantum, sed prima coronæ
Spes trepidat tantis venientibus Eurytus alis.*

Agitur de certamine currendi. Vitium orationi inesse nemo sanus dubitaverit. Quam ineptum illud est *venientibus!* Nic. Heinsius ulcus aliquod sentiens divinabat, *tactus venientibus Eurytus alis*, vel *tantis eventibus Eurytus ales*, quod ultimum Drakenborchio arridet. Sed hoc sane est corrupta ulterioris corrumpere, & ex suo ingenio interpolare. Et quomodo tanti eventus alterius possent dici, cum revera non evenerit, ut alter ille Theron vinceret, sed Eurytus? Omnia legendum est literarum apicibus paulisper mutatis modo:

*Nec jam quem sequitur tantum, sed prima coronæ
Spes trepidat tantis conterritus Eurytus alis.*

Eurytus, qui sperabat, se victorem fore omnium in hoc cursu, conterritus erat alis tantis, tanta celeritate Theronis, qui non modo ei, quem proxime sequebatur, antevertere & antevolare velle videbatur, sed etiam ipsi Euryto, qui jam inter currentes primus erat. Tantus erat impetus Theronis, ut pene Eurytus jam multum præcedens conterreretur, ne præmium perderet & vinceretur. Amat hanc vocem *conterritus* Silius. Sic Libr. VI. v. 224. *conterritus alte Immensum attollit corpus.* Confer. Lib. XII. v. 542. XIV. v. 165. & 319. XV. v. 11, 293, 454. XVII. v. 285 & 523. alibique. Virgil.

gil. Æn. Lib. III. §. 597. paullum aspectu conterritus hæsit.
 Jam vero vide scripturam vocum *conterritus* & *venientibus*,
 & similitudinem omnium apicum in libris MSS. vetusto cha-
 ractere Longobardico exaratis agnosce, si hujus rei gnarus
 es. Neque enim hæc rudem, & obtusi ingenii mentisque
 judicem requirunt. Sed missis nunc tot ulceribus, quæ in
 Silio sunt, verè Chironiis, ad carcinomata Ovidiana reverta-
 mur. Talia enim hic pauca tantum obiter tangemus ac san-
 bimus, ut appareat, adhuc innumera desperate laborantia fa-
 nari posse, & satis lectionum variantium esse, frustra etiam
 sperari meliores, nisi iis opibus, quas tanta jam copia habe-
 mus, utentes rem alia via, quam hactenus factum est, aggre-
 diamur. Quid enim prodeft, ut hiantibus pueris similes ex-
 spectemus, quæ frustra ad finem usque mundi exspectabun-
 tur, & nos à magna crepantibus, vanamque religionem sim-
 pliци ac talium ignaræ plebi injicientibus deludi patiamur?
 Ex sexcentis hujusmodi Chironiis OVIDII ulceribus ad-
 huc unum modo alterumve hic attingam. Cum de Apro Ca-
 lydonio egerit superior locus, ob similitudinem materiae con-
 sideretur nunc hic quoque ex Epistolæ XX. ubi Acontius ad
 Cydippen §. 101. sic scribit de Dianæ iracundia:

* *Teftis erit Calydonis aper.* nam scimus, ut illo

Sit magis in natum fæva reperta parens. *

Teftis & Actæon, quondam fera creditus illis,

Ipſe dedit leto cum quibus ante feras.

Damnavit etiam Nic. Heinlius prius istud distichon, velut
 spurium. At illum deterrere debuisset initium proximi *Te-*
ftis & Actæon; ubi ipsa copula & clare indicat, jam aliud ex-
 exemplum de Dianæ iratae violentia præcessisse; quale illud
 apri Calydonii sane insigne erat. Somnium est inane de Li-
 brariis talia infondere volentibus. Sed locus, dicet aliquis, ad-
 eo corruptus est, mancus alicubi etiam mutilusque. Imo ve-
 rò ipsa illa corruptio indicium est, distichon esse genuinum.
 Novorum versuum faber enim versus cuditset ad minimum
 sibi sensu constantes, qui hic plane perversus est. Apri
 enum

enim violentia exaggeranda erat supra Althææ matris in filium Meleagrum atrocitatem, non vice versa. In MSS. nonnullis erat *nam scimus*, in aliis *nos scimus*, *si scimus*, *sic scimus*. Quidam *sic sœvus* paulo melius habebant, vel *scit sœvus*. In Puteaneo erat literis quibusdam initio erasis, *Tetris erit . . . lydon . . . ap.* Scripsit Auctor, ut mutatione exigua emendamus:

Tetris erit Calydonis aper, tam sœvus, ut isto

Vix magis in natum sœva reperta parens.

Tetris & Actæon, quondam fera creditus illis,

Ipse dedit leto cum quibus ante feras.

Nihil liquidius. *Tetris*, inquit, erit Calydonius aper, quæ sœva bestia vix mater Althæa sœvior fuit, quæ proprium filium Meleagrum fatali stipite in ignem conjecto interemit. Quid illis numeris, tum repetitione *sœvus*, *sœva* suavius? Sic pari Venere etiam vox *fera* & *feras* in proximo disticho iteratur. Restitui vero *isto* pro *illo*, ne hujus Epistolæ tria vicina hexametra eadem voce *illa*, *illo*, *illis* finiantur; qua scabie nihil insulsius foret & putidius. Nota vero tota est fabula de apro Calydonio, de Oeneo rege, uxore Althæa, & Meleagro filio. Vis iterum stupendæ corruptionis & interpolationis exemplum, & tamen mox antiquæ, ut puto, sanitati restituendum videre? En locum apud eundem OVIDIVM Metam. Libr. XV. v. 422. ubi Pythagoras in aurea illa oratione post multa alia præclara sic de interitu urbium introducitur loquens:

- - - *Sic magna fuit censuque virisque,
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos.
Nunc humilis veteres tantummodo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.*

* *Clara fuit Sparte: magnæ viguere Mycenæ:*

Nec non Cecropiae, nec non Ampionis arces.

* *Vile solum Sparte est: altæ cecidere Mycenæ.*

* *Oedi-*

* *Oedipodionæ quid sunt nisi nomina Thebæ?*

* *Quid Pandionæ restant nisi nomen Athenæ?*

Omnis quinque posteriores versus primum à Nic. Hein-
sio, deinceps quoque à Petr. Burmanno contra omnes MSS.
aliud plane indicantes, & velut alta voce clamantes, damnata-
ti, ac propterea uncinulis inclusi sunt. Et sane ita Pytha-
goras loqui nec potuit, nec debuit, cuius tempore hæ ur-
bes, & in primis Athenæ ac Sparte, adhuc florentissimæ
erant. Interim Heinsius de falsitate horum versuum non
ita certus erat, quin adhuc dubitasse videatur; unde versu
penultimo *fabula* recepit pro *nomina*, quod posterius est in
MSS. omnibus præter duos, ac postremo versu divinavit
Quid Pandionis restat nisi nomen Athenis. Sed quid juvant
ista ad sanitatem recuperandam? cum Pythagoras nequa-
quam sic loqui potuerit absque impudenti mendacio &
aviso pnoſiaq. Versus hi horrendo quidem modo corrupti &
insulse interpolati sunt, sed revera tamen genuini omnes,
quod ipsa conversio orationis, & oppositionis gratia venam
prorsus Ovidianam sapiens adhuc manifeste indicat. Versu
tertio vox *tantum* asperrimo sono radit aures, cum iam
paulo ante in præcedente occurrat. Multas & magnas rui-
nas Trojæ polt tot secula superfuisse, cum Pythagoras vi-
veret, etiam falsum est. Latet & ibi menda. Sexto versu
par ille est Metam. Lib. VII. l. 230. *Nec non Peneæ, nec*
non Spercheides undæ. Ego totum locum sic à manu Nasonis
profectum esse nullus dubito:

sic magna fuit censuque virisque,
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,
Nunc humilis veteres quasdam modo Troja ruinas,
Et pro divitiis tumulos ostendit avorum.
Clara sit ut Sparte, magnæque in honore Mycenæ,
Nec non Cecropiæ, nec non Ampbionis arces:
Vile solum Sparte, Pelopeiadesque Mycenæ,

Oedipodioniae quin nil nisi nomina Thebæ,

Nil Pandioniae restare querentur Athenæ.

Quid, quæso, jam non elegans, & verum, simulque Ovidium decens ac Pythagoræ convenientissimum est? Omnia hæc ultima à verbis duobus *restare querentur* dependent, ut manifestum est. Atque ita à Nasone verè scriptum fuisse credimus, cum omnia tam apte succedant, quod ita casu contigisse, quis tam ferreus est, ut dicere audeat? Vaticinatur verò hic Pythagoras, ut mox de Romæ imperio ac futura magnitudine similiter. Et omnino hæc vicissitudo exprimenda erat, ut paulo ante de Troja. Hæc enim tota erat Pythagoræ intentio, hic orationis scopus. Nunc simul etiam Mycenis epitheton à Pelopidis additur, ut Thebis & Athenis mox à suo rege vel conditore. *Sparte & Mycenæ* etiam alibi junguntur, ut Faſt. Lib. VI. Ÿ. 47. Metam. Lib. VI. Ÿ. 414, ubi *Thebis* dicuntur vicinæ, & hæc verba notanda: *Argosque & Sparte, Pelopeiadesque Mycenæ.* Vide nunc porro literarum omnium similitudinem & vestigia veræ lectionis etiam in corruptis. Ceterum *ut pro quanvis* Ovidio usitatum est, sicut etiam aliis optimis scriptoribus. *In bonore esse* ut Metam. X. Ÿ. 170. *nec citharæ, nec sunt in bonore sagittæ.* E compendiosa scriptura qionore illud *vigore* fluxit. Et sic in ceteris. Et quām pulcrè jam τῷ in *bonore* opponitur mox τῷ *Vile!* Omnia hæc sunt indicia veritatis. Ex innumeris aliis tam tetrè corruptis tantum adhuc unum adjiciam locum, mire vexatum, cum negare non possent, ipsum revera per se genuinum esse, et si corruptissimum, & se in vanum laborare satis sentirent viri docti. Locus is est apud eundem OVIDIUM Trist. Libr. II. Ÿ. 565, ubi cultissimus Poëta sic de scribit:

Candidus à salibus suffusis felle refugi :

Nulla venenato litera mixta joco est.

Inter tot populi, tot scripti millia nostri,

Quem mea Calliope laſerit, unus ego.

Non

ANNOTATIONES.

67

*Non igitur nostris ullum gaudere Quiritem
Auguror, at multos indoluisse malis.*

Versum tertium esse mendosum, omnique commodo nexu & constructione carere, præterea barbarum ac illatinum censeri debere, balbuties ipsa ostendit. Tanaquil Faber legebat *tot scriptis, millia, nostris*, ut cohæreret *tot populi millia*, nec *millia scripti* pro *scriptorum insolenter & insulse diceretur*. Idem volebat Nic. Heinsius, nisi quod etiam initio corrigeret *Inter enim populi*. Sed quis sibi vel cogitando fingere potest, Ovidium ita turbasse verba & eorum nexus contra totam indolem suam? Burmannus etiam hariolabatur *studii tot millia nostri*, adhuc plura corrupti, & stylum nil reddens meliorem. Corruptio sagacius detegenda est, ut sana linquantur intacta, & vulnera vera tollantur. Vox *nostri* mox iterum recurrens hic simul vitiosa est. Millia vero versuum suorum vel potius literarum, (præcessit enim *nulla litera*) non populi millia, hic intellexit sine dubio Naso, quod etiam Georg. Merula propè sensit, et si ipse similiter in luto hæserit. Locus in Ibide V. 3. huic simillimus probe notandus est: *Nullaque, quæ possit, tot scriptis millibus, exstat Litera Nasonis sanguinolenta legi.* Nec quemquam *nostri nisi nos lædere libelli*. &c. Sine dubio pari modo etiam hic locutus est Poëta. Nota porro, in MSS. etiam fuisse *Inter tot populos*. Frustra quidem. Sed illud quoque indicat, hic aliud quiddam latere, ut etiam in pronomine *nostri* in fine versus. Hoc cum ignoraretur, hinc vane sudatum est, nec locus sanari potuit hactenus. En tibi veram scripturam Ovidii facillimo ejus ingenio congruam. Emenda me fidejussore sic iterum capitaliter:

*Candidus à salibus suffusis felle refugi:
Nulla venenato litera mixta joco est;
Inque tuo populo, tot scriptis millibus olim,
Quem mea Calliope læserit, unus ego.*

I 2

Non



*Non igitur nostris ullum gaudere Quiritem
Auguror, at multos indoluisse malis.*

Quid jam clarius, tersius, magisque Ovidianum optari potest? Allocutus erat, ut ibi videre potes, Cæsarem, & adhuc alloquitur. Hinc dicit *tuo populo*. Sic eadem cum reverentia de se ibid. V. 204. *Neve tuus possim civis ab hoste capi*. Trist. Lib. IV. El. II. V. 48. *populi rite per ora tui*. Et sic alibi saepius. Etiam *scripta πληθυντικῶς* de suis saepe dicit. Trist. Lib. V. Eleg. I. V. 67. *ulli nec scripta fuerunt Nostra nisi auctori pernicioſa ſuo*. Et sic hoc eodem Libr. II. V. 278. ubi vide. Sed hic, ut diximus, multa literarum millia scripta designat. Satis appetet, ex *millibus olim primo millian oſtri*, & sic paulatim *millia noſtri* in vitiosis libris scriptum corruptumque fuſſe. Hinc illa labes tam pertinax inhaſit, primum à vitioſe ſcribentibus orta, deinde ab ineptis interpolatoribus aliisque mangonibus firmata auſtaque, ipsa ſcilicet corruptione in ordinem aliquem redacta, quæ res maximam librorum cladem & calamitatē peperit. Incruſtabant enim vitia, non funditus emendabant homines male feduli. Et nondum ſaepē defuit hæc credula dicam? an audax ſimplicitas hominum ſibi etiam de aliis judicandi potestatem arrogantium. O interioris artis inſtitia! Sic etiam SULPICIA, Poëtria illa doctissima tempore Domitianī, quo *millia* de suis versibus vel poëmatiis dixit in initio *Satyræ de Corrupto ſtatu Reipublicæ*. Sed quia is quoque locus plane desperatum ulcus habet, heic coroniſ loco idem emendetur. Locus ita ſe habet nunc in omnibus Editionibus V. 7.

*Cetera quin etiam, quo denique millia lusi,
Primaque Romanas docui contendere Grajis,
Et ſalibus variare novis, conſtanter omitto.
Teque, quibus, princeps & facundiffima, calles,*

Adgre-

Adgredior; precibus descendere clientis, & audi.

Dic mibi, Calliope, quidnam pater ille deorum

Cogitat? an terras, & patria saecula mutat?

In quarto citati loci versu esse ulcera quædam adeo manifestum est, ut dubitari nequeat. Quid enim est *quibus calles?* quorsum τὸ *quibus* pertinet? Mirè se viri docti torserunt, ut loco medicinam facerent, sed successu plane nullo. Janus Douza divinabat *Teque tuosque, præs queis facundissima, colles Aggredior,* non solum audacter, sed etiam præter rem. Non enim colles, sed solam hic Calliope invocat, ut verbum *descende* ostendit. Anonymus quidam Douzæ refragatus *clavis*, id est *clavis*, ut ait, hario-latur pro *calles*, quasi Aetium Pacuviumve in manu haberet. Scioppius *quibus princeps es facundissima collis*, con-jicit ineptè; cum τὸ *quibus* nihil habeat, quo referatur. Et quis ille *collis* sine nomine? cur non potius montem Heliconem, Parnassum, Pindumve nominasset? Nic. Hein-fius tamen pene similiter tentabat *Teque tui princeps & facundissima collis.* Cl. Burmannus hæc omnia dura & coacta merito vocat. Sed quod existimat, τὸ *calles* posse defendi, nova distinctione adhibita, provocans ad Thom. Munckerum idem sentientem, Barthiumque sic citantem, errat vehementer, ut mox apparebit lectione genuina re-stituta. Ipse etiam sibi diffisus mox *polles* divinat. Tu vero, lector benevole, missis his æstibus secure emenda nobiscum & lege ita:

Cetera quin etiam, quot denique millia tuisti,

Primaque Romanas docui contendere Grajis,

Et salibus variare novis, constanter omitto.

Teque, quia es princeps & facundissima cœlo,

Adgredior; precibus descendere clientis, & audi.

ANNOTATIONES.

*Dic mibi, Calliope, quidnam pater ille deorum
Cogitat? an terras, & patria sœcula mutat?*

Sic, inquam, non aliter scripsit Sulpicia sensu & nexus perspicuo. Teque, ait, aggredior, o Calliope, quia es princeps & facundissima cœlo; age illo descende, idque precibus meis, tuæ scilicet clientis, & audi &c. Et ne quisquam Cynicus jaëter, nos nimis arroganter talia affirmare solitos (quasi arrogantia esset, tot malis omnia veterum monumenta adhuc inundantibus serio & fidenter, cum possis, occurrere) ecce quæ Sulpicia imitata fuerit, cum hæc scriberet, quæque ante oculos habuerit. Manifeste respexit locum Horatii Libr. III. Od. 4. initio: *DESCENDE COELO & DIC age tibia REGINA longum CALLIOPE mēlos.* Videsne jam, ita scripsisse Sulpiciam? Et certe è cœlo, non è colle aliquo, quid Jupiter cogitaret, nunciare debebat Calliope; inde descendendum. Eundem locum Horatii respexit Statius, cum Sylv. Libr. III. Carm. I. v. 50. scriberet: *Sed quænam subiti veneranda exordia templi, Dic age Calliope. socius tibi grande sonabit Alcides;* nam etiam ultima ad ejusdem imitationem more solito posuit. Ac ne dubites, Sulpiciam loca Horatiana cupide imitari; sic mox ibid. v. 16. dum sribit, *Non aliter, primo quam cum surreximus ævo &c.* respexit & imitata est illa Horatii Lib. I. Sat. 3. v. 100. *Quum prorepserunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus.* Sic cum eadem Sulpicia v. 35. loco etsi nunc corrupto Domitianæ sœvitiam & luxuriam describere tentaret, Horatium iterum imitari voluit. Ita enim legitur ibi:

*Nunc igitur qui res Romanas imperat inter,
Non trabe, sed tergo prolapsus, & ingluvie albus,
Et studia, & sapiens bonum nomenque genusque,
Omnia abire foras, atque Urbe exceedere jussit.*

Nihil

ANNOTATIONES.

71

Nihil erat pulchrius dictum ad Domitiani tyranni imaginem exprimendam. Verba *ingluvie albus* elegantissima sunt. Imitatur hæc Horatii Lib. II. Sat. 2. *pinguem vitius albumque neque ostrea, Nec scarus, aut poterit peregrina juvare lagois.* Eadem imitatus est Persius Sat. III. V. 98. *Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur.* Sed locus Sulpiciæ adhuc fœde corruptus est. Barbarum plane atque illatinum est *res Romanas imperat*, vel *imperat inter res Romanas*. Alluditur ad fabulam Æsopicam de trabe vel tigillo primùm ranis à Jove pro Rege dato, quo spreto deinceps alias rex Serpens seu Hydrus fuit missus, ad quem voracem miserorum subditorum sive ranarum tyrannum pertinent verba *tergo prolapsus & ingluvie albus*; & huic similem esse Domitianum indicat, non quasi Domitianus ipse revera trabs vel hydrus fuisset. Ridicule! τὸ inter maxime corruptum inficit etiam proximum verbum. Omnino sic emendandum est unice:


*Nunc igitur qui res Romanas temperat, ut rex
Non trabe, sed tergo prolapsus, & ingluvie albus,
Et studia, & sapiens hominum nomenque genusque,
Omnia abire foras, atque Urbe excedere jussit.*

Facilis erat corruptio verbi genuini *temperat* in ineptum illud *imperat*, vel *inferat*, ut in antiqua editione quadam mea exhibetur. Hanc verissimam esse scripturam Sulpiciæ facile Douza credidisset ac certus fuisset. Sed quia ulcus præcipuum in τῷ *inter latens*, pro quo *ut rex omnino emendandum* est, idque capitaliter & tamen prorsus exigua paucorum apicum mutatione, ignorabat Vir nobilissimus, ideo ex luto isto se expedire nequirit. Nolo hic exhibilare ridiculas ac pene spurcas ob verbum *prolapsus* doctorum quorundam interpretationes & æstus. Hi fructus sunt mendarum. Verbum *prolapsus* pertinet ad hydram, regem ranis desuper loco trabis missum, non ad Domitianum.

tianum. Rex ranarum nempe non sub trabis; sed sub hydri figura in lacum tergo prolapsi & ingluvie albi ac voracitate turgidi constitutus est. Ei similis fuisse Domitianus hic dicitur. Quid clarius & pulcrius fingi potest? Quod vero *albus* eleganter dicatur turgidus cum pallore, docet vel unicus Horatii locus Lib. II. Od. 2. *aquosus albo corpore languor*, de hydrope; quem non modo Serenus Samonicus cap. 27. imitatur similiter de eo loquens, dum ait *albentia membra*, & mox *languoris aquosi*, sed etiam Prudentius quater, nempe Hymn. VIII. Catem. V. 62. *aquosus humor in venis*. Peristeph. Hymn. I. V. 112. *alba morbis corpora*. Hymn. III. V. 239. *Hydrops aquosus lucido Tendit veneno intrinsecus*; & denique in Psychomach. V. 244. sensu nonnihil alio, *albo jejunia vultu*. Td temperat simili-
ter more Horatii positum, qui Lib. I. Od. 12. canit *Qui mare & terras variisque mundum Temperat Horis*. Sic enim & illic maiore litera initiali *Horis*, non *boris*, est scriben-
dum. Intelligit enim quatuor anni partes, tam pulchrè initio Libr. II. Metam. ab Ovidio descriptas, non viginti qua-
tuor partes diei civilis, ut inepte vulgo explicatur. Dicit
fere idem Poëta, quod verus summusque Deus Noacho
Genes. cap. VIII. vers. 22. seu ultimo promisit. Ceterum
vide, quam proclivis librariorum fuerit lapsus, ut ex vocu-
lis istis coalescentibus *utrex* corrumperent *inter*. Quanta
autem nonnunquam sit venustas talium monosyllaborum in
fine versus positorum, prolixè & exemplis & emendationi-
bus in *Præmetio nostro Crucium Criticarum* cap. VIII. pag.
107, 108. &c. ante aliquot annos docuimus. Sed defina-
mus, ne nimis nunc in altum abrepti portus oblitisci vi-
deamur. Restat enim integer Oceanus, non infeliciter, ut
spero, jam dudum enavigatus.

T A N T U M.

ELE.



ELEGIA

Pridie Exsequiarum ad convocandam Con-
cionem Academiæ valvis Loco Program-
matis affixa.

RECTOR ET SENATUS ACADEMICUS

L. B. S.

 *Omnia quæ tantis meditamur gaudia
curis,*

Tam rerum velox orbis in orbe rotat?
Discite, mortales, parce gaudere, monemus;
Et parce querula voce dolere vices.
Sæpe nimis furva circum caligine fusi
Casibus incertis credula turba sumus.

K

Blan-

*Blanda simul zephyris tumefecit vela secundis,
Leniter & nostram promovet aura ratem,
Grandia concipimus, veluti latura perenni
Lætitiam nobis prosperitate diu.
Mox ubi densetur, cæpitque nigrescere cælum,
Spes omnis, robur mentis & omne cadit.
Siccine tam longis hebetes profecimus annis,
Totius & mundi conditione nihil ?
Quos meliora dies potuisset quælibet olim
Reddere prudentes, quælibet hora docens ;
Ut neque, si facilis Sors rideat ore sereno,
Infatuet nimius pectora nostra tumor :
Nec, Nemesis rigido si terreat horrida vultu,
Debilitet nimius pectora nostra timor.
Summa cadunt subito; lapsuque resurgere possunt
Infima. perpetuas cernimus esse vices.
Visa diu felix Augusti Cæsaris alta
Cladibus afflita est quotque quibusque
domus !
Marcellus cecidit, pulchri cecidere nepotes,
Et subita celebres occubuere nece.*

Ille

*Ille potens Urbis flevit moderator & Orbis
Tot sibi carorum tristia fata Senex.
Postremo, triplicis qui rexerat orbis habenas,
Accessit simili jussus obire dolo.
Ipse pater refluo Tiberinus inhorruit amne,
Et sparsit laceras uda per ora comas.
Credibile est etiam, septem tot biantia montes
Vulnera ferali clam gemuisse sono.
At tu mirari tantas, Tiberine, reducto
Desine turbati gurgitis amne vices.
Desine res alto lugere cacumine lapsas,
Ne casus veteres esse reare novos.
Nosti etenim, nosti, diuturni temporis usu,
Et memor es senii pro ratione tui,
Scipiadæ quantas, Martis duo fulmina, quonam
dam
Mutata tulerint conditione vices ;
Afra quibus tellus, Asiaeque patentia victis
Contulerant populis regna perenne decus :
Quæ Syllis, Mariisque tuis, quæ millibus olim
Contigerint multis Ausonis orbe satis.*

K 2

Quam

*Quam modo floruerint titulis opibusque beati,
Ducentes sudos & sine nube dies :
Arenti penitus sortis modo flore faventis
Diversi fuerint dissimilesque sibi.*

*Nee quæ strata dolent, semper dolitura pu-
tandum ;*

*Nec male si nunc est, sic quoque semper erit.
Tempora Sithonias hiemes æstiva sequuntur.*

Nube redit pulsa sepe serena dies.

*Damma breves subeunt lunæ, reparantque vi-
cissim.*

*Labitur arboribus, lapsaque forma redit.
Sic age lætemur tristes quasi forte futuri,
Fortunæ dubia res agitante rota.*

*Sic quoque tristemur, ne spem simul auferat
omnem*

Mente nimis fracta sollicitudo pavens.

*At nos sæpe modo miseri peccamus utroque,
Quos sua caligo pernicioса premit.*

*Dum modo vana fides, modo desperatio vecors
Instabiles animos insipienter agit.*

Et

*Et quod tale potest, quo dignos esse negemus,
Mittere supremi Numinis ira malum ?
Mente parum grata toties qui Vindicis ipsam
In fera cessantem cogimus arma manum.
Aut quod committi facinus potuisse putemus
Ut reprimi nequeat dextra severa Dei ?
Dextra Dei vibrans nocuo letalia jaectu
Fulmina, degeneres admonitura sui :
Compositis eadem decumani fluctibus æstus
Factatæ rursus sepe benigna rati.
Sensimus hanc etiam repetito vulnere nobis,
Et cunctis, Musas qui coluere, gravem.
Spissa globo tristi nubes coëunte per auras
Visa fuit nondum detonuisse satis ?
Qua levitate Tuas, Pater o, commovimus iras ?
Crimina tam sœvam quæ meruere manum ?
Quid loquimur ? cur non potius meruisse fa-
temur ?
Forsitan & fassis lenior hora venit.
Ecce brevi dirum geminatur tempore vulnus.
Altera surripitur jam tibi gemma, Themis,*

VIR EXCELLENTISSIMUS,
CONSULTISSIMUS ET CELEBERRIMUS
DN. HENRICUS
THEODORUS
A. A. F.
PAGENSTECHER,
JURIS UTRIUSQUE DOCTOR, ET EJUSDEM
IN ACADEMIA HAC REGIA DUISBURGENSI
PROFESSOR ORDINARIUS, AC
SENIOR;

*Hunc tu, Diva, tuis poteras inscribere fastis :
Hic tibi sacrata gente creatus erat.
Hujus & ipsa sagax monitrix intexere nomen
Jure suo poterat sancta Minerva peplo.
Abstulit ante diem Lachesis, quem torva vi-
debat
Quamlibet haud juvenem, non tamen esse
senem.
Abstulit hunc pulchris conatibus obvia semper,
Et secuit mediæ pendula fila coli.*

In-

*Invida, quid gaudes? quid inani more trium-
phas,*

*Et tibi de de strato, Parca, tropaea pa-
ras?*

*Non truculenta nimis, credas licet, abstulit
illum*

Dextera, non falcis lex violenta tuæ.

*Vivit in orbe recens, vivetque perennia sem-
per*

Tempora, nec Pylio qualia visa seni.

*Gratia Dis superis! in doctos dextera fætus,
In merita & famam nil tua juris habet.*

*Nos quoque, quantumvis mortales simus &
ipſi,*

Cum truce certamen Morte parare decet.

*Vocibus & Scriptis tibi jus minuemus, &
omni*

Lædendi vires eripiemus ope.

*Hoc celebrata VIRI Virtus, Probitasque,
Fidesque,*

Hoc animi dotes promeruere pii;

Qui-

*Quique simul propriis patriisque perambulat
orbem
Laudibus, ingenii fætibus auctus Honos.*

ORATIONEM FUNEBREM
CRASTINO DIE XII. JUNII ANNI HUJUS
CL^o CCC LII.
POST FINITAS RITE EXSEQVIAS
IN ACROATERIO MAJORE
EX
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI
DECRETO

HABEBIT

JOANNES HILDEBRANDUS
WITHOF,
HISTORIARUM, ELOQUENTIÆ, ET GRÆCÆ
LINGUÆ PROFESSOR ORDINARIUS.

DUISBURGI AD RHENUM,

Typis JOAN. SEB. STRAUBII, Academ. Typogr.



213

Als Der
Wolgebohrne, Hochgelahrte und Weitberühmte

H e r r
**Herr Henrich Theodor
Bagenstecher**

Beider Rechten Doktor und Professor Dr.
dinarius in Duisburg

am 8. Jun. 1752.
sanft und seelig verschieden
und


am 12. desselben Monats
in der Salvators Kirche beigesetzt ward

bezeugten hiemit

Der beiden Rechten sämtliche Beslissene
ihre rechtschaffene Betrübnis.



L.



Faisons au moins l' aveu de notre infirmité
A quoi bon, quand la fièvre en nos artères brûle,
Faire de notre mal un secret ridicule?

Boileau.



Wir nicht? betrübt, gebeugt, verlassen scheinen?
Wir sollten nicht dem Harm zur Seite gehn?
O, mögten dan die stummen Gräber weinen,
Und hinter uns der Schimpf zur Rache stehn!
Wir schämen uns, wir schämen uns der Tränen,
Der Wehmuth nicht, die wahrer Kuhn erwirbt;
Und fangen an zum Gram uns zu gewehnen;
Ein Lehrer starb: und nun? - - ein Lehrer stirbt.

Melpomene! du lehrest uns die Weise,
Wie man so treu, als schön und edel weint,
Dass die Geduld selbst unser Klaglied preise,
Was Wehmuth blaß, doch nicht unmenschlich scheint.
Kein Weiser kann, er soll kein Fels werden;
Matt schämt er sich, doch nicht ein Mensch zu seyn:
Er fühlt die Pein tirannischer Beschwerden,
Doch Ordnung stimmt in seine Klagen ein.

Wir

Wir sind zu schwach von Seinem Ruhm zu singen;
 Doch nicht zu schwach bei Seinem Sarg zu gehn,
 Und bleich und stumm die Hände wund zu ringen,
 Und Ihm, wie der dort Mentorn, nachzusehn.
 Rom dunge sich bei seinen werten Leichen
 Ein weibisches, ein künstliches Geheul:
 Wer aber darf Natur und Kunst vergleichen?
 Für unsre Pflicht sind uns nur Tränen feit.


Raum ist der Staub von den zerrissnen Wangen,
 Der Todesstaub erst neulich abgewischt,
 Den unser Ach wehmüthig aufgefangen
 Und in das Maß der Jahren eingemischt.
 Wir fangen an, die Lindrung nur zu hoffen;
 Durch Leid wird Glück, und Glück durch Leid verhehrt:
 Die Hoffnung schwindt; von neuem dummi getroffen
 Findt unser Herz nichts gut, nichts hoffenswert.

Ach! Wehmuth, ach! wie trübst du die Gedanken,
 Wan Traurigkeit des Urtheils Führer wird!
 Der Starke selbst fängt taumelnd an zu wanken,
 Wan er bei dir in düstern Lauben irrt.
 Verzweiflung nur, nichts hoffenswert zu finden,
 Schickt sich fürwahr für edles Beileid nicht.
 Dies soll den Muth noch aus dem Staube winden,
 Der auch noch Kraft von welken Aesten bricht.

Der Kummer füllt uns freilich wol den Becher;
 Doch Zucker sinkt und folgt dem Wermuth nach.
 Dich raubt er uns, verklärter Pagenstecher,
 Uns drohte längst dies kommend Ungemach.
 Zum minsten ist die Furcht nicht zu bestreiten,
 Wan unvorsehn ein schneller Donner kracht.
 Viel stärker trifft ein Unfall, der von weiten
 Durch Wunden sich den Weg zu Wunden macht.

Noch lassen wir den späten Enkeln lesen,
 Nicht ohne Lust, und Lust vertilgt die Noth,
 Dass Du für uns ein Uspian gewesen:
 So martert uns, so trostet uns Dein Tod.
 So dringt der Muth in unsre bittre Zähren,
 Der gute Muth mit stillen Güssen ein.
 Dein Ruhm wird Dich auch in dem Tod verklären,
 Und uns ein Born des sichern Trostes seyn.

Das Lehrende, das Deine Schriften hegen,
 Die Anmuth würzt und Wissenschaft erfüllt,
 Soll uns den Harm der künftgen Tage legen,
 Der wol noch oft aus frischen Narben quillt.
 So wenig wir den Glanz zu dulden taugen,
 Der ewig nun, auf ewig Dich umgiebt,
 Noch folgen Dir die sehnsuchtvollen Augen:
 Sie lieben Dich, sie haben Dich geliebt.





I den Becher;
muth nach.
stecher,
ach.
eiten,
icht.
veiten
den macht.

i lesen,
e Noth,

Tod.
ihren,

od verklären,
eyn.

sten hegen,
füllt,
legen,
uillt.
zen,
zen:
t.

